Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/iuspianum0000vari

ANTONIUS MARCHINI
CATHEDRALIS ECCLESIAE VIGLEVANENSIS
Canonicus Theologus

IUS PIANUM
DE SPONSALIBUS ET MATRIMONIO

DECRETO *Ne temere* 2 AUG. 1907

SUBSECUTISQUE SS. CONGREGATIONUM DECISIONIBUS

CONSTITUTUM

IN USUM PRAESERTIM SEMINARIORUM

MORTARI E.
A. Cortellezzi Typ. Praem. Don.
1915.

6080

Quae iura sunt a lege Auctor sibi reservat.

PROŒMIUM

Neminem profecto effugit quanti sit momenti *Pianum* decretum *Ne temere*, quo novum ius quoad Sponsalia et Matrimonium salubriter constitutum est. Triplex enim est, uti perlegenti liquet, huiusce novae legis finis — *Primus* ne, contra mentem sacrosanctae Tridentinae Synodi, temere ineantur clandestina coniugia, quae Dei Ecclesia iustissimis de causis nullo non tempore detestata est atque prohibuit — *Alter* ut valori christiani matrimonii certius simul ac facilius prospiciatur — *Tertius* ut gravissimis incommodis occurratur, quae ex sponsalibus clandestinis seu privatis oriuntur, uti maiora peccandi incitamenta, inexpertarum puellarum faciles frequentesque deceptiones, dissidia quoque non pauca litesque inextricabiles, quae inter familias inde derivari possunt.

Quam maxime igitur convenit genuinum novae legis sensum probe nosse ut quotidianis casibus opportune applicari queat. Quo spectat praesens Commentarius, qui prae ceteris, qui usque in praesens prodierunt, illud commodi praesefert, ut novum ius, ad novissimas usque Decisiones, brevibus formulis, codicis instar, exhibeat.

AUCTOR.

DECRETUM

DE SPONSALIBUS ET MATRIMONIO

IUSSU ET AUCTORITATE SS. D. N. PII PAPAE X

A S. CONGREGATIONE CONCILII EDITUM

Ne temere inirentur clandestina matrimonia, quae Dei Ecclesia iustissimis de causis semper detestata est atque prohibuit, provide cavit Tridentinum Concilium (cap. I. sess. XXIV. *de reform. matrim.*) edicens: « Qui aliter quam praesente parocho vel alio « sacerdote de ipsius parochi seu Ordinarii licentia et duobus vel « tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos Sancta « Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et eiusmodi « contractus irritos et nullos esse decernit ».

Sed cum idem Sacrum Concilium praecepisset ut tale decretum publicaretur in singulis paroeciis, nec vim haberet nisi iis in locis ubi esset promulgatum, accidit ut plura loca in quibus publicatio illa facta non fuit, beneficio Tridentinae legis caruerint hodieque careant, et haesitationibus atque incommodis veteris disciplinae adhuc obnoxia maneant.

Verum nec ubi viguit nova lex, sublata est omnis difficultas. Saepe namque gravis exstitit dubitatio in decernenda persona parochi, quo praesente matrimonium sit contrahendum. Statuit quidem canonica disciplina, proprium parochum eum intelligi debere, cuius in paroecia domicilium sit aut quasi-domicilium alterutrius contrahentis. Verum quia nonnunquam difficile est iudicare, certo ne constet de quasi-domicilio, haud pauca matrimonia fuerunt obiecta periculo, ne nulla essent; multa quoque, sive inscitiâ sive fraude, illegitima prorsus atque irrita deprehensa sunt.

Haec dudum deplorata eo crebrius accidere nostra aetate videmus, quo facilius ac celerius commeatus cum gentibus, etiam disiunctissimis, perficiuntur. Quam ob rem sapientibus viris ac doctissimis visum est expedire, ut mutatio aliqua induceretur in iure circa formam celebrandi connubii. Complures etiam sacrorum Antistites omni ex parte terrarum, praesertim e celebrioribus civitatibus, ubi gravior appareret necessitas, supplices ad id preces Apostolicae Sedi admoverunt.

Flagitatum simul est ab Episcopis, tum Europae plerisque tum aliarum regionum, ut incommodis occurreretur, quae ex sponsalibus, id est ex mutuis promissionibus futuri matrimonii privatim initis, derivantur.

Docuit enim experientia satis, quae secum pericula ferant eiusmodi sponsalia: primum incitamenta peccandi causamque cur inexpertae puellae decipiantur; postea dissidia ac lites inextricabiles.

His rerum adiunctis permotus SS.mus D. N. Pius X, pro ea quam gerit omnium Ecclesiarum sollicitudine, cupiens ad memorata damna et pericula removenda temperatione aliqua uti, commisit S. Congregationi Concilii ut de hac re videret, et, quae opportuna aestimaret, Sibi proponeret.

Voluit etiam votum audire Consilii ad ius canonicum in unum redigendum constituti, necnon E.morum Cardinalium, qui pro eodem codice parando speciali commissione delecti sunt: a quibus quemadmodum et a S. Congregatione Concilii conventus in eum finem saepius habiti sunt. Omnium autem sententiis obtentis, SS.mus Dominus S. Congregationi Concilii mandavit, ut decretum ederet, quo leges a Se, ex certa et matura deliberatione probatae, continerentur, quibus sponsalium et matrimonii disciplina in posterum regeretur eorumque celebratio expedita, certa atque ordinata fieret.

In exsecutionem itaque Apostolici mandati, S. Congregatio Concilii praesentibus litteris constituit atque decernit ea quae sequuntur.

De Sponsalibus.

I. — Ea tantum sponsalia habentur valida et canonicos sortiuntur effectus, quae contracta fuerint per scripturam subsignatam a partibus et, vel a parocho aut a loci Ordinario, vel saltem a duobus testibus. Quod si utraque vel alterutra pars scribere nesciat, id in ipsa scriptura adnotetur, et alius testis addatur, qui cum parocho aut loci Ordinario, vel duobus testibus de quibus supra, scripturam subsignet.

II. — Nomine parochi hic et in sequentibus articulis venit non solum qui legitime praeest paroeciae canonice erectae, sed in regionibus ubi paroeciae canonice erectae non sunt, etiam sacerdos cui in aliquo definito territorio cura animarum legitime commissa est et parocho aequiparatur; et in missionibus ubi territoria necdum perfecte divisa sunt, omnis sacerdos a missionis moderatore ad animarum curam in aliqua statione universaliter deputatus.

De Matrimonio.

III. — Ea tantum matrimonia valida sunt, quae contrahuntur coram parocho vel loci Ordinario vel sacerdote ab alterutro delegato et duobus saltem testibus, iuxta tamen regulas in sequentibus articulis expressas et salvis exceptionibus quae infra n. VII. et VIII. ponuntur.

IV. — Parochi et loci Ordinarii valide matrimonio assistunt:

§ 1. A die tantum adeptae possessionis beneficii vel initi officii, nisi publico decreto nominatim fuerint excommunicati vel ab officio suspensi:

§ 2. Infra limites dumtaxat sui territorii, in quo matrimoniis nedum suorum subditorum, sed etiam non subditorum, valide assistunt:

§ 3. Dummodo invitati ac rogati et neque vi, neque gravi metu constricti, requirant excipiantque contrahentium consensum.

V. — Licite autem assistunt:

§ 1. Constito sibi legitime de libero statu contrahentium, servatis de iure servandis:

§ 2. Constito insuper de domicilio vel saltem de menstrua commoratione alterutrius in loco matrimonii:

§ 3. Quod si deficiat, ut parochus et loci Ordinarius licite matrimonio adsint, indigent licentia parochi vel Ordinarii proprii alterutrius contrahentis, nisi gravis intercedat necessitas, quae ab ea excuset:

§ 4. Quoad « vagos », extra casum necessitatis, parocho ne liceat eorum matrimoniis assistere, nisi re ad Ordinarium vel ad sacerdotem ab eo delegatum delata, licentiam assistendi impetraverit:

§ 5. In quolibet autem casu pro regula habeatur, ut matrimonium coram sponsae parocho celebretur, nisi aliqua iusta causa excuset.

VI. — Parochus et loci Ordinarius licentiam concedere possunt alii sacerdoti determinato ac certo, ut matrimoniis intra limites sui territorii assistat.

Delegatus autem ut valide et licite assistat, servare tenetur limites mandati, et regulas pro parocho et loci Ordinario n. IV. et V. superius statutas.

VII. — Imminente mortis periculo, ubi parochus vel loci Ordinarius vel sacerdos ab alterutro delegatus haberi nequeat, ad consulendum conscientiae et (si casus ferat) legitimationi prolis, matrimonium contrahi valide ac licite potest coram quolibet sacerdote et duobus testibus.

VIII. — Si contingat, ut in aliqua regione parochus locive Ordinarius aut sacerdos ab iis designatus, coram quo matrimonium celebrari queat, haberi non possit, eaque rerum conditio a mense iam perseveret, matrimonium valide ac licite iniri potest emisso a sponsis formali consensu coram duobus testibus.

IX. — §. 1. Celebrato matrimonio, parochus vel qui eius vices gerit, statim describat in libro matrimoniorum nomina coniugum ac testium, locum et diem celebrati matrimonii atque alia, iuxta modum in libris ritualibus vel a proprio Ordinario praescriptum; idque licet alius sacerdos vel a se vel ab Ordinario delegatus matrimonio adstiterit.

§ 2. Praeterea parochus in libro quoque baptizatorum adnotet, coniugem tali die in sua paroecia matrimonium contraxisse. Quod si coniux alibi baptizatus fuerit, matrimonii parochus notitiam initi contractus ad parochum baptismi sive per se, sive per curiam episcopalem, transmittat, ut matrimonium in baptismi librum referatur.

§ 3. Quotiens matrimonium ad normam n. VII. aut VIII. contrahitur, sacerdos in primo casu, testes in altero, tenentur in solidum cum contrahentibus curare ut initum coniugium in praescriptis libris quamprimum notetur.

X. — Parochi qui heic hactenus praescripta violaverint, ab Ordinariis pro modo et gravitate culpae puniantur. Et insuper si alicuius matrimonio adstiterint contra praeceptum § 2. vel 3. num. V. emolumenta « stolae » sua ne faciant, sed proprio contrahentium parocho remittant.

XI. — § 1. Statutis superius legibus tenentur omnes in catholica Ecclesia baptizati et ad eam ex haeresi aut schismate conversi

(licet sive hi, sive illi ab eadem postea defecerint), quotiens inter se sponsalia vel matrimonium ineant.

§ 2. Vigent quoque pro iisdem de quibus supra catholicis, si cum acatholicis sive baptizatis sive non baptizatis, etiam post obtentam dispensationem ab impedimento mixtae religionis vel disparitatis cultus, sponsalia vel matrimonium contrahunt; nisi pro aliquo particulari loco aut regione aliter a S. Sede sit statutum.

§ 3. Acatholici sive baptizati sive non baptizati, si inter se contrahunt, nullibi ligantur ad catholicam sponsalium vel matrimonii formam servandam.

Praesens decretum legitime publicatum et promulgatum habeatur per eius transmissionem ad locorum Ordinarios; et quae in eo disposita sunt, ubique vim legis habere incipiant a die solemni Paschae Resurrectionis D. N. I. C. proximi anni 1908.

Interim vero omnes locorum Ordinarii curent hoc decretum quamprimum in vulgus edi, et in singulis suarum dioecesum parochialibus ecclesiis explicari, ut ab omnibus rite cognoscatur.

Praesentibus valituris de mandato speciali SS.mi D. N. Pii PP. X. contrariis quibuslibet etiam peculiari mentione dignis minime obstantibus.

Datum Romae die 2 mensis Augusti anni 1907.

VINCENTIUS Card. Ep. Praenest. *Praefectus.*
C. DE LAI *Secretarius.*

DECISIONES
S. CONGREGATIONIS CONCILII
CIRCA DECRETUM *NE TEMERE*

I.

Decisiones datae die 1 februarii 1908.

Dubia. — I. An decreto *Ne temere* adstringantur etiam catholici ritus orientalis. — *Et quatenus negative:*

II. — Utrum ad eosdem decretum extendere expediat. — *Et quatenus saltem pro aliquo loco decretum non fuerit extensum:*

III. — Utrum validum sit matrimonium contractum a catholico ritus latini cum catholico ritus orientalis, non servata forma ab eodem decreto statuta.

IV. — An sub art. XI. § 2. exceptione enunciata illis verbis: *nisi*

pro aliquo particulari loco aut regione aliter a S. Sede sit statutum: comprehendatur tantummodo Constitutio *Provida* Pii PP. X; an potius comprehendatur quoque Constitutio Benedictina et cetera eiusmodi indulta impedimentum clandestinitatis respicientia.

V. — Num in imperio Germaniae catholici, qui ad sectam haereticam vel schismaticam transierunt, vel conversi ad fidem Catholicam ab ea postea defecerunt, etiam in iuvenili vel infantili aetate, ad valide cum persona catholica contrahendum adhibere debeant formam in decreto *Ne temere* statutam, ita scilicet ut contrahere debeant coram parocho et duobus saltem testibus. — *Et quatenus affirmative:*

VI. — An, attentis peculiaribus circumstantiis in imperio Germaniae exsistentibus, opportuna dispensatione provideri oporteat.

VII. — Ubinam et quomodo cappellani castrenses, vel parochi nullum absolute territorium nec cumulative cum alio parocho habentes, at iurisdictionem directe exercentes in personas aut familias, adeo ut has personas sequantur quocumque se conferant, valide matrimoniis suorum subditorum assistere valeant.

VIII. — Ubinam et quomodo parochi, qui territorium exclusive proprium non habentes, cumulative territorium cum alio vel aliis parochis retinent, matrimoniis assistere valeant.

IX. — Ubi et quomodo parochus, qui in territorio aliis parochis assignato nonnullas personas vel familias sibi subditas habet, matrimoniis assistere valeat.

X. — Num cappellani seu rectores piorum cuiusvis generis locorum, a parochiali iurisdictione exemptorum, assistere valide possint matrimoniis absque parochi vel Ordinarii delegatione.

XI. — An a decreto *Ne temere* abolita sit lex vel consuetudo in nonnullis dioecesibus vigens, vi cuius a Curia episcopali peragenda sunt acta, quibus constet de statu libero contrahentium, et dein venia fiat parochis assistendi matrimoniis.

XII. — An et quousque expediat prorogare executionem decreti *Ne temere* pro nonnullis locis iuxta Ordinariorum petitiones.

Resolutiones. — Et eadem S. Congregatio Concilii, in plenario conventu die 25 Ianuarii 1908 habito, definitivam solutionem differendam esse censuit. Verum in subsequentibus comitiis diei 1 februarii eiusdem anni, iisdem dubiis iterum ad trutinam vocatis et sedulo perpensis, authentice respondit prout sequitur :

Ad I. Negative.

Ad II. Ad S. Congregationem de Propaganda Fide.

Ad III. Dilata, et exquiratur votum duorum Consultorum, qui prae oculis habeant leges hac de re vigentes quoad Orientales.

Ad IV. Comprehendi tantummodo Constitutionem *Provida;* non autem comprehendi alia quaecumque decreta, facto verbo cum SS.mo et ad mentem.

Ad V. Affirmative.

Ad VI. Negative, ideoque servetur decretum *Ne temere.*

Ad VII. Quoad cappellanos castrenses aliosque parochos, de quibus in dubio, nihil esse immutatum.

Ad VIII. Affirmative in territorio cumulative habito.

Ad IX. Affirmative, quoad suos subditos tantum, ubique in dicto territorio, facto verbo cum SS.mo.

Ad X. Affirmative pro personis sibi creditis, in loco tamen ubi iurisdictionem exercent, dummodo constet ipsis commissam fuisse plenam potestatem parochialem.

Ad XI. Servetur solitum.

Ad XII. Ad E.mum Praefectum cum SS.mo.

Die vero quarta dicti mensis et anni SS.mus Dominus Noster Pius PP. X. audita relatione infrascripti Praefecti S. C. Concilii, supra relatas resolutiones ac declarationes ratas habere et confirmare benigne dignatus est easque vulgari mandavit, contrariis quibuscumque non obstantibus.

VINCENTIUS Ep. Card. Praenest. *Praefectus.*
B. POMPILI *Secretarius.*

II.

Decisiones datae die 28 martii 1908.

Dubia. — I. Utrum validum sit matrimonium contractum a catholico ritus latini cum catholico ritus orientalis, non servata forma a decreto *Ne temere* statuta.

II. — An in art. XI. § 2 eiusdem decreti sub nomine acatholicorum comprehendantur etiam schismatici et haeretici rituum Orientalium.

III. — Num exceptio, per Constit. *Provida* in Germania inducta, censenda sit uti mere localis, aut etiam personalis.

IV. — An Ordinarii et parochi nedum explicite, sed etiam implicite « invitati ac rogati », dummodo tamen « neque vi, neque metu gravi constricti requirant excipiantque contrahentium consensum », valide matrimoniis assistere possint.

V. — An ad licitam matrimonii celebrationem habenda sit ratio dumtaxat menstruae commorationis, aut etiam quasi-domicilii.

VI. — Utrum sponsalia, praeterquam coram Ordinario aut parocho, celebrari valeant etiam coram ab alterutro delegato.

VII. — Utrum sponsalia celebrari possint dumtaxat coram Ordinario vel parocho domicilii aut menstruae commorationis, an etiam coram quolibet Ordinario aut parocho.

Resolutiones. — Quibus dubiis in generali Congregatione diei 28 martii 1908 E.mi Patres S. C. Concilii, omnibus sedulo expensis, respondendum mandarunt:

Ad I. Negative.

Ad II. Affirmative.

Ad III. Exceptionem valere tantummodo pro natis in Germania ibidem matrimonium contrahentibus, facto verbo cum SS.mo.

Ad IV. Affirmative.

Ad V. Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.

Ad VI. Negative.

Ad VII. Posse celebrari coram quolibet Ordinario aut parocho, dummodo intra limites territorii eiusdem Ordinarii vel parochi.

Die autem 30 dicti mensis martii SS.mus Dominus Noster, audita relatione infrascripti Secretarii S. C. Concilii, supra relatas E.morum Patrum resolutiones ratas habuit et approbavit, quibuslibet in contrarium non obstantibus.

VINCENTIUS Card. Ep. Praenest. *Praefectus.*
B. POMPILI *Secretarius.*

III.

Decisiones datae die 8 iulii 1908.

Dubia. — I. Utrum sub art. XI. § 2 Decreti *Ne temere*, in exceptione: « *Nisi pro aliquo particulari loco aut regione aliter a S. Sede statutum sit* »: comprehendantur instructio S. Congregationis pro negotiis ecclesiasticis extraordinariis anno 1844 pro imperio Russiaco et Regno Poloniae: « Respondendum oretenus, matrimonia mixta, quae in Russiaco imperio et regno Poloniae inita sint praeter formam a Tridentino Concilio praescriptam, esse prudenter dissimulanda, et quamvis illicita, pro validis habenda, nisi tamen aliud obstet dirimens canonicum impedimentum », et extensio declarationis Benedictinae ad Poloniam in imperio Russiaco, a Pio VI. 2 martii 1780 facta.

II. - Utrum attenta praefata instructione S. Congregationis pro negotiis ecclesiasticis extraordinariis anni 1844, et extensione declarationis Benedictinae, a Pio VI. anno 1780 facta, matrimonia mixta, post Decretum *Ne temere*, incipiendo a Paschate anni 1908, contracta coram ministro acatholico in imperio Russiaco pro validis habenda sint.

Resolutiones. — Sacra Congregatio Concilii Tridentini interpres ad supra relata dubia die 8 iulii 1908 respondendum censuit:

Ad I. Negative.

Ad II. Provisum in primo.

Facta postmodum relatione SS. D. N. Pio PP. X. Sanctitas Sua resolutionem E.morum Patrum approbare dignata est.

VINCENTIUS Card. Ep. Praenest. *Praefectus.*
B. POMPILI *Secretarius.*

IV.

Decisiones datae die 27 iulii 1908.

Dubia. — I. Utrum ad valida ineunda sponsalia partes teneantur subsignare scripturam unico contextu cum parocho seu Ordinario aut cum duobus testibus, an potius sufficiat ut scriptura, ab una parte cum parocho vel cum duobus testibus subsignata, remittatur ad alteram partem, quae vicissim cum parocho vel cum duobus testibus subscribat.

II. — An ad sponsalium validitatem in scriptura sit apponenda data, seu adscriptio diei, mensis et anni.

III. — An, vi decreti *Ne temere*, etiam ad matrimonia mixta valide contrahenda, ab Ordinario vel a parocho exquirendus et excipiendus sit contrahentium consensus.

IV. — Utrum ad valide et licite matrimoniis assistendum, ad tramitem art. VI. decreti requiratur semper delegatio specialis, an vero sufficiat generalis.

V. — An in locis dissitis, ad quae missionarius singulis mensibus non venit — in quibus tamen, si peteretur, haberi posset, et vel ad eum aut ad alium missionarium, qui sit parochus in sensu decreti, absque gravi incommodo possent accedere sponsi — matrimonia contracta sine missionarii seu parochi praesentia retinenda sint uti valida.

VI. — Utrum ratione momentanei, inopinati et fidelibus prorsus incogniti transitus per aliquem locum, a quo iam a mense missionarius abest, interrumpi dicenda sit illa rerum conditio, de qua in art. VIII. decreti.

VII. — An et quomodo annuendum sit petitionibus Ordinariorum Smensium, qui ob peculiares illius regionis conditiones postularunt: 1° exemptionem a praescriptionibus decreti in sponsalibus ineundis; 2° dispensationem a praesentia parochi et quandoque etiam testium, sive in matrimoniis ex dispensatione contrahendis a baptizatis cum non baptizatis, sive in matrimoniis inter catholicos, qui sub paganorum potestate sunt constituti.

VIII. — Utrum subditi dioecesis Damaensis, in dioecesi tamen Bombayensi commorantes, et e converso subditi dioecesis Bombayensis degentes in dioecesi Damaensi, ut validum et licitum ineant matrimonium, teneantur se sistere dumtaxat coram parocho personali vel possint etiam coram parocho territorii.

IX. — An et quomodo providere expediat casui, quo parochi a lege civili graviter prohibeantur quominus matrimoniis fidelium assistant nisi praemissa caeremonia civili, quae praemitti nequeat, et tamen pro animarum salute omnino urgeat matrimonii celebratio.

Resolutiones. — Et E.mi Patres S. C. Concilii in plenariis comitiis diei 27 Iulii 1908 respondendum censuerunt:

Ad I. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ad II. Affirmative.

Ad III. Affirmative, servatis ad hactenus quoad reliqua praescriptionibus et instructionibus S. Sedis.

Ad IV. Quoad delegationem nihil esse immutatum, excepta necessitate eam faciendi sacerdoti determinato et certo ac restrictam ad territorium delegantis.

Ad V. Negative.

Ad VI. Negative.

Ad VII. Quoad primum negative. Quoad secundum, concedendam esse iisdem Ordinariis facultatem dispensandi a forma substantiali matrimonii pro casibus tantum verae necessitatis, cum potestate hanc facultatem etiam habitualiter subdelegandi missionum rectoribus, facto verbo cum SS.mo.

Ad VIII. Dilata.

Ad IX. Non esse interloquendum.

Eadem autem die SS.mus Dominus Noster Pius PP. X. audita relatione infrascripti Secretarii, supra recensitas resolutiones ratas habere et approbare dignatus est, contrariis non obstantibus quibuscumque.

VINCENTIUS Card. Ep. Praenest. *Praefectus.*
B. POMPILJ *Secretarius.*

DECISIONES
S. CONGREGATIONIS DE SACRAMENTIS
CIRCA DECRETUM *NE TEMERE*

I.

Decisio data die 19 februarii 1909.

Constitutio Piana Provida extenditur ad regnum Hungaricum.

In Congregatione generali, habita in Palatio Apostolico Vaticano die 19 febr. 1909, proposita fuit quaestio Romana et aliarum: « Dubiorum circa Decretum de sponsalibus et matrimonio relate ad « petitionem Antistitum Hungariae quoad matrimonia mixta. »

EE. ac RR. PP., re mature perpensa, dubio: « An et quomodo « providendum sit in casu » responderunt: « Attentis peculiaribus « circumstantiis in casu concurrentibus, supplicandum SS.mo, ut pro « nunc quoad matrimonia mixta extendere dignetur regno Hungariae Constitutionem *Provida* pro Germania latam die 18 ian. « 1906, servatis declarationibus a. S. C. C. die 1 febr. et 18 martii 1908 desuper datis ».

Ex audientia SS.mi die 23 febr. 1909. — SS.mus audita relatione facta a R. P. D. Secretario, E.morum Patrum voto in omnibus benigne annuere dignatus est; et insuper coniugia mixta post publicationem Decreti *Ne temere* in Regno Hungariae hucusque contracta, non servata eiusdem Decreti forma, dummodo nullum aliud dirimens impedimentum obstet, pro validis habenda esse voluit idque expresse declaravit et decrevit.

II.

PARMEN. ET ALIARUM.

Decisio data die 14 maji 1909.

Quilibet Sacerdos, qui ad normam art. VII. decreti Ne temere matrimonio adsistit, dispensare potest super impedimentis dirimentibus iuris ecclesiastici, exceptis...

Ante editum Decretum *Ne temere* diei 2 mensis augusti 1907 *De sponsalibus et matrimonio,* satis iam fuerat eorum necessitati provisum, qui miserrime in concubinatu viventes iidemque in gravissimo mortis periculo constituti, impedimento aliquo matrimonium dirimente prohiberentur, quominus rite nuptias inirent. Nam per

litteras S. Officii datas die 20 mensis februarii anno 1880, et per sequutam declarationem die 9 mensis ianuarii anno 1889, facultas Ordinariis concedebatur, quae parochis etiam subdelegari habitualiter posset, dispensandi in iis adiunctis ab impedimentis quoque publicis matrimonium ecclesiastico iure dirimentibus, excepto sacro presbyteratus Ordine et affinitate lineae rectae ex copula licita proveniente.

Cum autem in art. VII. praefati Decreti *Ne temere* sancitum fuerit « imminente mortis periculo, ubi parochus vel loci Ordinarius « vel sacerdos ab alterutro delegatus haberi nequeat, ad consulen- « dum conscientiae et (si casus ferat) legitimationi prolis, matri- « monium contrahi valide et licite posse coram quolibet sacerdote « et duobus testibus »; Ordinarius Parmensis ac plerique aliorum locorum Ordinarii a S. Congregatione de Disciplina Sacramentorum postularunt, ut etiam hoc in casu animarum saluti consuleretur, si forte dirimens aliquod impedimentum obstaret quominus matrimonium rite contraheretur.

Re mature perpensa in Congregatione generali diei 7 mensis maii anno 1909 et relatis omnibus SS. D. N. Pio divina providentia Papae X in audientia habita ab infrascripto eiusdem S. Congregationis a secretis die 9 maii 1909, Sanctitas Sua, benigne excipiens votum E.morum Patrum, declarare dignata est ac decernere, quemlibet sacerdotem, qui ad normam art. VII. Decreti *Ne temere*, imminente mortis periculo, ubi parochus vel loci Ordinarius vel sacerdos ab alterutro delegatus haberi nequeat, coram duobus testibus matrimonio assistere valide ac licite potest, in iisdem rerum adiunctis dispensare quoque posse super impedimentis omnibus etiam publicis matrimonium iure ecclesiastico dirimentibus, exceptis sacro presbyteratus Ordine et affinitate lineae rectae ex copula licita.

Datum Romae ex aedibus eiusdem S. Congregationis die 14 maji 1909.

III.

ROMANA ET ALIARUM.

Decisiones datae die 18 iunii 1909.

Circa Pianam Constitutionem Provida eiusque extensionem ad regnum Hungaricum.

In plenariis comitiis a S. Congregatione de Disciplina Sacramentorum habitis, die 18 mensis iunii anno 1909, sequentia proposita sunt dirimenda dubia, nimirum:

I. — Num responsum S. Congregationis Concilii diei 28 martii 1908 ad II: « Exceptionem valere tantummodo pro natis in Germania ibique matrimonium contrahentibus », ita sit intelligendum, ut in quovis casu ambo coniuges debeant esse nati in Germania, seu respective in regno Hungariae.

II. — An post extensionem Constitutionis *Provida* ad regnum Hungariae, Germaniam inter et Hungariam, quoad validitatem clandestinorum mixtorum matrimoniorum, reciproca relatio ha-

beatur, ita ut duo coniuges nati ambo in Germania matrimonium mixtum clandestinum valide ineant etiam in regno Hungariae, et vice versa, nati ambo in regno Hungariae valide contrahant clandestino quoque modo in Germania.

III. — Num saltem natus in Germania cum nato in regno Hungariae mixtum matrimonium valide ineat sive in Germania sive in regno Hungariae.

Et E.mi Patres ad huiusmodi dubia respondendum censuerunt:

Ad I. Affirmative.

Ad II. Negative.

Ad III. Negative.

IV.

VENETIARUM.

Decisio data die 16 augusti 1909.

Facultas, de qua supra n. II. quoad dispensationem ab impedimentis, valet tantum PRO CONCUBINARIIS.

In plenario coetu a S. Congr. de Disciplina Sacramentorum habito die 13 mensis augusti anno 1909, dirimendum propositum est dubium: « Utrum facultas dispensandi ab impedimentis matrimonia-« libus imminente mortis periculo in casu art. VII. Decreti *Ne te-« mere*, facta per decretum huius S. Congregationis die 14 maii 1909, « valeat dumtaxat pro concubinariis; an etiamsi non agatur de « concubinariis, sed alia adsit causa ad consulendum conscientiae et « (si casus ferat) legitimationi prolis? ». Cui dubio E.mi Patres responderunt: « Negative ad primam partem, affirmative ad secundam ».

Die autem 15 praefati mensis et anni SS.mus D. N. Pius Papa X, audita relatione R. P. D. Secretarii eiusdem S. Congregationis, supra relatam E.morum Patrum declarationem ratam habere et confirmare dignatus est.

Datum Romae ex aedibus eiusdem S. Congregationis, die 16 mensis augusti anno 1909.

D. Card. FERRATA *Praefectus.*
PH. GIUSTINI *Secretarius.*

V.

ROMANA ET ALIARUM.

Decisiones datae die 12 martii 1910.

Dubia. — In plenariis comitiis a S. Congregatione de Disciplina Sacramentorum habitis, die 12 martii 1910, sequentia proposita fuerunt dirimenda dubia, nimirum:

I. — Quid intelligendum sit nomine « regionis », seu in qua distantia debeant versari contrahentes a loco, in quo est sacerdos

competens ad assistendum matrimonio, ut hoc possit valide et licite iniri coram solis testibus ad normam art. VIII. decr. « *Ne temere* ».

II. — Accidit non raro ut ob sacerdotum inopiam plures paroeciae ab uno tantum parocho regantur, qui easden omnes singulis mensibus invisere nequit. Sunt pariter quaedam amplae paroeciae, vicos etiam cum sacello publico valde dissitos continentes, qui infra mensem, tum ob viarum asperitatem, tum ob fluminum impetum lustrari a parocho nequeunt omnino, nec parochus a fidelibus adiri potest. Quaeritur: *a*) Possintne fideles paroeciarum in primo casu, elapso mense quin parochus advenerit, valide ac licite matrimonium contrahere coram duobus testibus tantum, iuxta art. VIII — *b*) Quilibet vicus in secundo casu possitne tamquam « regio » haberi, ita ut ibi degentes facultate praefati art. VIII uti valeant.

III. — Utrum valide matrimonium coram solis testibus ineat qui in « regionem », de qua art. VIII. *in fraudem legis* se conferat.

IV. — An possint adhiberi ut testes mali christiani atque adeo pagani in ordine ad observandas prăescriptiones art. II. III. VII. et VIII.

V. — Quoad menstruam commorationem et vagos quaeritur: *a*) Utrum commoratio menstrua, de qua in art. V. § 2. sit accipienda *sensu relativo,* i. e., quoad eos qui alibi habent domicilium aut quasi-domicilium, an *sensu absoluto,* seu quoad illos qui nullibi praedictum domicilium aut quasi-domicilium habent — *b*) Utrum parochus vel Ordinarius proprius, de quo eodem art. V. § 3. sit parochus vel Ordinarius commorationis menstruae sensu absoluto acceptae — *c*) Utrum nomine vagorum, de quibus art. V. § 4. ii omnes veniant qui destituuntur domicilio et quasi-domicilio, an ii tantum qui, domicilio et quasi-domicilio destituti, praeterea nullibi habent parochum vel Ordinarium commoratione saltem menstrua acquisitum.

VI. — Accidit ut parochorum coadiutores ab Episcopis nominentur, et quidem ex iure particulari facultate assistendi coniugiis non sint instructi; tamen usuvenit ut, ab incepto officii exercitio, parochis non contradicentibus, sed irrequisita eorum licentia, matrimonii adsistant, in libris etiam matrimoniorum adhibentes solam sui ipsorum subscriptionem; imo praesertim in maioribus paroeciis semper vel fere semper matrimoniis adsistant. Quaeritur in casu: *a*) An matrimonia coram coadiutoribus hucusque inita, tacentibus parochis, sint valida — *b*) Quatenus affirmative, an licite coadiutores se gerant in assistentia connubiis praestanda ab incepto officii exercitio, absque expressa parochorum delegatione — *c*) Utrum tolerari possit mos ut coadiutores omnibus vel fere omnibus matrimoniis in paroecia adsistant, an potius parochi urgeri debeant ad hanc adsistentiam ut plurimum et ordinarie per seipsos explendam, nisi legitima et gravi causa, onerata ipsorum conscientia, impediti fuerint, quo in casu deputationem coadiutoribus conferant et ita solitis verbis connubia in libris matrimoniorum describantur.

VII. — Utrum per art. I. decreti maneat abrogatum ius speciale ante illud decretum in Hispania vigens, et ad Americam Latinam extensum, vi cuius ad valorem sponsalium requirebatur scriptura publica *a notario* subscripta.

VIII. — Utrum Ecclesiae regulares exemptae ad tenorem decreti existimari possint et valeant tamquam territorium parochi seu

Ordinarii, in quorum territoriali districtu sunt sitae, ad effectum adsistentiae matrimonii.

IX. — An et quomodo annuendum sit petitionibus quorundam Ordinariorum, nimirum: 1° Episcopi Rosensis postulantis dispensationem ab obligatione imposita per art. IX. § 2. adnotandi in libro baptizatorum, coniuges tali die in sua paroecia matrimonium contraxisse; 2° Vicarii Apostolici Kiam-Si Orientalis postulantis dispensationem non solum ab obligatione adnotandi matrimonium contractum in libro baptizatorum, sed etiam in libro matrimoniorum; 3° quorundam Ordinariorum Sinensium qui quaerunt: Utrum responsum S. C. C. diei 27 Iulii 1908, ad VII. restringatur ad solos duos casus tunc in quaesito propositos; et, *quatenus affirmative*, postulant ut responsum extendatur ad alios casus verae necessitatis; 4° Episcopi Magalorensis qui postulat ut sibi facultas detur permittendi ut matrimonium celebratum in libro matrimoniorum describi possit a Sacerdote qui ex delegatione parochi matrimonio adstitit, quando parochus sit absens.

Resolutiones. — Et E.mi Patres ad huiusmodi dubia ita respondendum censuerunt:

Ad 1um Matrimonium potest valide et licite contrahi coram illis testibus sine praesentia Sacerdotis competentis ad assistendum semper ac, elapso iam mense, Sacerdos competens absque gravi incommodo haberi vel adiri nequeat.

Ad 2um Provisum in primo.

Ad 3um Affirmative.

Ad 4um Quoad qualitates testium a decreto « *Ne temere* » nihil esse immutatum.

Quoad 5um Ad *a* et *b*. Provisum per responsum ad quintum datum a S. C. Concilii die 28 Martii 1908.

Ad *c*: Nomine vagorum, de quibus art. V. § 4. veniunt omnes et soli qui nullibi habent parochum vel Ordinarium proprium ratione domicilii vel menstruae commorationis.

Quoad 6um Ad *a*: acquiescant, facto verbo cum SS.mo; ad *b*: serventur de iure servanda; ad *c*: quoad assistentiam matrimoniis a parochis personaliter praestandam Archiepiscopus pro suo iure urgeat si quae sunt de ea re leges Concilii Provincialis. Quoad descriptionem matrimonii celebrati servetur art. IX Decreti « *Ne temere* » et praescriptum Ritualis Romani.

Ad 7.um Affirmative.

Ad 8.um Affirmative.

Quoad 9.um Ad 1.um Non expedire et ad mentem. Mens est, ut Ordinarius aliique ipsius cooperatores quantum in Domino possunt, satagant illam perniciosam superstitionem ab animis fidelium avertere, qua ab usurpandis Sanctorum nominibus in baptismo receptis deterrentur. Doceant ipsos frequenter, idcirco nomina eis imponi Sanctorum, ut eorum exemplis ad pie vivendum excitentur et patrociniis protegantur. Parochis vero aliisque animarum curae praepositis, sacerdotibus commendet, ut quamdiu illa perniciosa superstitio eradicari non possit, omni, qua valeant, diligentia libros parochiales conscribant, etiam adhibita opera aliorum, quorum industria ea in re iuvari posse credant. Quodsi in casu particulari verum nomen coniugati scire non poterunt, stante morali impossibilitate legem observandi, ea non obligantur.

Ad 2.um Non expedire quoad utrumque et ad mentem. Mens est: Ordinarios curare debere, ut a Missionariis regesta celebratorum

matrimoniorum diligenter conficiantur et conserventur, eisque pro suo prudenti arbitrio praescribere cautiones ad vitanda incommoda exposita, adhibitis etiam, si opus fuerit, signis conventionalibus.

Ad 3.um Quoad 1.um Negative; quoad 2.um Provisum in primo.

Ad 4.um Pro gratia prudenti arbitrio et conscientiae Episcopi.

Die autem 13 eiusdem mensis et anni SS.mus Dominus noster, audita relatione infrascripti Secretarii, supra relatas resolutiones ratas habere et approbare dignatus est.

D. Card. Ferrata *Praefectus.*
Ph. Giustini *Secretarius.*

VI.

ROMANA ET ALIARUM.

Decisio data die 29 Iulii 1910.

Decreto S. Congregationis de disciplina Sacramentorum edito die 14 mensis maii anno 1909, statutum fuit: « Quemlibet Sacerdotem qui ad normam art. VII Decreti *Ne temere*, imminente mortis periculo, ubi parochus vel loci Ordinarius vel Sacerdos ab alterutro delegatus haberi nequeat, coram duobus testibus matrimonio adsistere valide ac licite potest, in iisdem rerum adiunctis dispensare quoque posse super impedimentis omnibus etiam publicis matrimonium iure ecclesiastico dirimentibus, exceptis sacro presbyteratus ordine et affinitate lineae rectae ex copula licita ».

Circa quod decretum eidem S. C. dirimendum propositum est **dubium**:

« An praefato decreto comprehendantur etiam parochi, etsi non fuerint ad normam declarationis S. Officii diei 9 ianuarii 1889, habitualiter subdelegati a propriis Ordinariis ».

Et haec S. C., re perpensa, respondendum censuit: « Affirmative ».

Datum ex aedibus eiusdem S. C., die 29 mensis iulii, anno 1910.

D. Card. Ferrata *Praefectus.*
Ph. Giustini *Secretarius.*

VII.

Instructio data die 6 martii 1911.

De statu libero contrahentium deque relatione initi matrimonii ad Parochum baptismi transmittenda.

Perlatum haud semel est ad hanc S. Congregationem de disciplina Sacramentorum, in quibusdam regionibus parochos matrimoniis adsistere, praesertim advenarum, non comprobato rite ac legitime statu libero contrahentium, eiusque rei causa non defuisse qui alteras nuptias attentare sint ausi.

Haud pauci praeterea Ordinarii conquesti sunt, initorum notitiam connubiorum, quae vi decreti: *Ne temere,* editi a S. C. Concilii die 11 mensis Augusti anno MDCCCCVII, transmittenda est ad parochum baptismi coniugum, saepe omni fidei testimonio esse destitutam debitisque indiciis carere.

Ad haec incommoda removenda E.mi Patres huius S. Congregationis in generali conventu habito in aedibus Vaticanis die VII mensis Februarii MDCCCCXI, praescribenda censuerunt ea quae sequuntur:

I. — In memoriam redigatur parochorum haud licere ipsis adesse matrimonio, *nisi constito sibi legitime de libero statu contrahentium, servatis de iure servandis* (Cfr. Decr. *Ne temere* n. V. § 2); iidemque praesertim moneantur ne omittant baptismi testimonium a contrahentibus exigere, si hic alia in paroecia fuerit illis collatus.

II. — Ut autem quae n. IV. § 2 memorati Decreti praescripta sunt rite serventur, celebrati matrimonii denuntiatio, ad baptismi parochum transmittenda, coniugum eorumque parentum nomina et agnomina descripta secumferat, aetatem contrahentium, locum diemque nuptiarum, testium qui interfuerunt nomina et agnomina, habeatque parochi subscriptum nomen cum adiecto parochiali sigillo. Inscriptio autem accurata indicet paroeciam, dioecesim, oppidum seu locum baptismi, coniugum, et ea quae ad scripta per publicos portitores tuto transmittenda pertinent.

III. — Si forte accidat ut, adhibitis etiam cautelis, de quibus n. I. baptismi parochus, in recipienda denuntiatione matrimonii comperiat alterutrum contrahentium aliis nuptiis iam esse alligatum, rem quantocius significabit parocho attentati matrimonii.

IV. — Ordinarii sedulo advigilent ut haec praescripta religiose serventur, et transgressores, si quos invenerint, curent ad officium revocare, adhibitis etiam, ubi sit opus, canonicis poenis.

Ex Aedibus eiusdem S. C. die 6 Martii 1911.

D. Card. Ferrata *Praefectus.*
Ph. Giustini *Secretarius.*

VIII.

VENETIARUM.

Decisio data die 6 martii 1911.

Circa probationem peracti matrimonii.

E.mus Patriarcha Venetiarum S. C. de disciplina Sacramentorum sequens proposuit dubium:

An et quibus in casibus quibusque sub conditionibus admitti valeat tamquam sufficiens probatio initi matrimonii simplex affirmatio eorum qui ex America aliisve dissitis regionibus adveniunt, quotiescumque documentum vel alia legitima probatio celebrationis matrimonii aut omnino haberi nequeat, aut nonnisi admodum difficulter et post longum tempus, cum interea rerum adiuncta moram inquisitionis non patiantur.

Cui dubio E.mi ac Rev.mi Patres in plenariis Comitiis habitis die 17 Februarii 1911, re mature perpensa, respondendum censuerunt:

Imprimis curandum diligentissime est, ut factum contracti matrimonii legitimis probationibus ostendatur: quae probationes, licet studiose quaesitae, si haberi nequeant, deferatur partibus iuramentum, quo propriam assertionem confirment: hoc praestito, partes habeantur tamquam legitimo matrimonio coniunctae, earumque proles ut legitima. Excipiendi tamen sunt casus, in quibus ius plenam probationem requirit, ex. gr. si agatur de praeiudicio alterius matrimonii vel de ordinibus suscipiendis.

Matrimonium autem per iuramentum ut supra confirmatum inscribatur non quidem in communi matrimoniorum libro, sed in distincto libello ad hoc destinato.

Ex Aedibus eiusdem S. C. die 6 Martii 1911.

D. Card. Ferrata *Praefectus.*
Ph. Giustini *Secretarius.*

DECRETUM

SUPREMÆ CONGREGATIONIS S. OFFICII

Quoad natos ab acatholicis vel infidelibus, in Ecclesia tamen catholica baptizatos, postea vero in haeresi vel infidelitate vel sine religione educatos.

Cum decreti « *Ne temere* » per Sacram Congregationem Concilii die 2 Augusti 1907 editi articulo XI § I expresse edicatur novis circa formam sponsalium et matrimonii statutis legibus *teneri omnes in Catholica Ecclesia baptizatos et ad eam ex haeresi aut schismate conversos (licet sive hi sive illi ab eadem postea defecerint) quoties inter se sponsalia vel matrimonium ineant;* quaesitum est: Quid dicendum de matrimoniis eorum qui a genitoribus acatholicis vel infidelibus nati, sed in Ecclesia Catholica baptizati, postea, ab infantili aetate, haeresi seu infidelitate vel sine ulla religione adoleverunt, quoties cum parte acatholica vel infideli contraxerint?

Re in plenario conventu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii habito feria IV die 15 labentis mensis mature perpensa, E.mi ac R.mi DD. Cardinales Inquisitores Generales respondendum decreverunt: *Recurrendum esse in singulis casibus.*

Die vero sequenti SS.mus D. N. Pius divina providentia PP. X, in solita audientia R. P. D. Adsessori huius eiusdem Supremae Congregationis impertita, relatam Sibi E.morum Patrum resolutionem adprobare et confirmare dignatus est.

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 31 Martii 1911.

Aloysius Castellano *S. R. et U. I. Notarius.*

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Provida sapientique cura quavis aetate Sancta Ecclesia legibus latis ea disposuit, quae ad christianorum connubiorum firmitatem et sanctitatem pertinerent. In quibus legibus illa eminentem locum habet, qua Sancta Synodus Tridentina (1) clandestinorum matrimoniorum pestem abolere et ex populo christiano exstirpare contendit. Magnam ex hoc Tridentino Decreto utilitatem in universam rempublicam christianam promanasse et hodie quoque emanare apud omnes in confesso est. Nihilominus, ut sunt res humanae, contigit alicubi, et praesertim in Imperio Germanico, propter lamentabilem maximamque in religione divisionem et catholicorum cum haereticis permixtionem in dies augescentem, ut cum praedictae legis observantia incommoda etiam quaedam nec levia coniungerentur. Nimirum cum ex voluntate Concilii caput *Tametsi*, non antea in singulis paroeciis vim obligandi habere coeperit quam in illis rite esset promulgatum, et cum haec ipsa promulgatio an facta sit multis in locis dubitetur, incertum quoque non raro sit an lex Concilii obliget etiam acatholicos uno aliove in loco morantes, maxima inde ac molestissima in plurimis Imperii Germanici locis nata est iuris diversitas et dissimilitudo plurimaeque et spinosae exortae sunt quaestiones quae in iudicibus quidem saepe perplexitatem, in populo fideli quamdam legis irreverentiam, in acatholicis perpetuas cierent querelas et criminationes. Non omisit quidem Sedes Apostolica pro nonnullis Germaniae dioecesibus opportunas edere dispositiones et declarationes, quae tamen iuris discrepantiam minime sustulerunt.

Atque haec moverunt plures Germaniae Episcopos ut iterum iterumque Sedem Apostolicam adirent communibus precibus huic rerum conditioni remedium petentes. Quorum preces Decessor Noster f. r. Leo XIII benigne excipiens praecepit ut ceterorum quoque Germaniae Praesulum vota exquirerentur. Quibus acceptis et toto negotio in Suprema Congregatione Sacrae Romanae et Universalis Inquisitionis mature discusso, Nostrum esse officium intelleximus praesenti rerum statui efficax et universale levamen afferre. Itaque ex certa scientia et plenitudine Nostrae potestatis, ut consulamus sanctitati firmitatique matrimonii, disciplinae unitati et constantiae, certitudini iuris, faciliori reconciliationi poenitentium, ipsi quoque paci et tranquillitati publicae, decernimus et mandamus:

I. — In universo hodierno Imperio Germaniae caput *Tametsi* Concilii Tridentini, quamvis in pluribus locis, sive per expressam publicationem sive per legitimam observantiam, nondum fuerit certo promulgatum et inductum, tamen inde a die festo Paschae (1. e. a die 15 aprilis) huius anni millesimi nongentesimi sexti omnes

(1) Sess. XXIV. cap. I. *de ref. matr.*

catholicos, etiam hucusque immunes a forma Tridentina servanda, ita adstringat ut inter se non aliter quam coram parocho et duobus vel tribus testibus validum matrimonium celebrare possint.

II. — Matrimonia mixta, quae a catholicis cum haereticis vel schismaticis contrahuntur, graviter sunt manentque prohibita, nisi accedente iusta gravique causa canonica datisque integre, formiter, utrimque legitimis cautionibus per partem catholicam dispensatio super impedimento mixtae religionis rite fuerit obtenta. Quae quidem matrimonia, dispensatione licet impetrata, omnino in facie Ecclesiae coram parocho ac duobus tribusve testibus celebranda sunt, adeo ut graviter delinquant qui coram ministro acatholico vel coram solo magistratu vel alio quolibet modo clandestino contrahunt. Imo si catholici in matrimoniis istis mixtis celebrandis ministri acatholici operam exquirunt vel admittunt, aliud patrant delictum et canonicis censuris subiacent.

Nihilominus matrimonia mixta in quibusvis Imperii Germanici provinciis et locis, etiam in iis quae iuxta Romanarum Congregationum decisiones vi irritanti capitis *Tametsi* certo hucusque subiecta fuerunt, non servata forma Tridentina iam contracta vel (quod Deus avertat) in posterum contrahenda, dummodo nec aliud obstet canonicum impedimentum, nec sententia nullitatis propter impedimentum clandestinitatis ante diem festum Paschae huius anni legitime lata fuerit, et mutuus coniugum consensus usque ad dictam diem perseveraverit, pro validis omnino haberi volumus, idque expresse declaramus, definimus atque decernimus.

III. — Ut autem iudicibus ecclesiasticis tuta norma praesto sit, hoc idem iisdemque sub conditionibus et restrictionibus declaramus, statuimus ac decernimus de matrimoniis acatholicorum, sive haereticorum sive schismaticorum, inter se in iisdem regionibus non servata forma Tridentina hucusque contractis vel in posterum contrahendis; ita ut si alter vel uterque acatholicorum coniugum ad fidem catholicam convertatur, vel in foro ecclesiastico controversia incidat de validitate matrimonii duorum acatholicorum cum quaestione validitatis matrimonii ab aliquo catholico contracti vel contrahendi connexa, eadem matrimonia, caeteris paribus, pro omnino validis pariter habenda sint.

IV. — Ut demum Decretum hoc Nostrum ad publicam notitiam perveniat, praecipimus Imperii Germaniae Ordinariis ut illud per ephemerides diœcesanas aliosque opportuniores modos ante diem Paschae anni currentis cum clero populoque fideli communicent.

Datum Romae apud S. Petrum, die XVIII ian. MCMVI, Pontificatus Nostri anno tertio.

Pius PP. X.

COMMENTARIUS

OPERIS IN OCTO CAPITA DIVISIO.

Cap. I. - De Sponsalibus — II. - De Matrimonio regulariter celebrando — III. - De Matrimonio *in extremis* — IV. - De Matrimonio *coram testibus* — V. - De matrimoniis in libris parochialibus describendis — VI. - De poenis in transgressores Decreti — VII. - De subiecto passivo Decreti — VIII. - De promulgatione Decreti.

Caput I. - De Sponsalibus.

Art. I. - De Sponsalibus scripturâ ineundis — II. - De Parocho, de Ordinario et de Testibus Sponsalium.

ART. I. — *De Sponsalibus scripturâ ineundis.*

Canon I.

« *Ea tantum sponsalia habentur valida et canonicos sortiuntur* « *effectus, quae contracta fuerint per scripturam subsignatam* « *a partibus et vel a Parocho aut a loci Ordinario, vel saltem a* « *duobus testibus. Quod si utraque vel alterutra pars scribere* « *nesciat, id in ipsa scriptura adnotetur, et alius testis addatur,* « *qui cum Parocho aut loci Ordinario, vel duobus testibus, de* « *quibus supra, scripturam subsignet* » — Decr. *Ne temere* n. 1.

Canonis primi explanatio.

1. *Forma substantialis sponsalium* — Ad valorem sponsalium eorumque canonicos effectus habendos (1) tria ex vigenti lure requiruntur: — *a*) ut *per scripturam* contrahantur (can. 1.) — *b*) ut scriptura *hinc* subsignetur a partibus, *inde* vero *vel* a Parocho, *vel* a loci Ordinario, *vel* saltem a duobus testibus (ibid.) — *c*) ut in scriptura apponatur *data* seu adscriptio diei, mensis et anni (S. C. C. die 27 iulii 1908 ad 2 — V. sup. pag. 11).

2. *Qualis scriptura* — Cuiusvis formae scriptura ad valorem sponsalium sufficit, sive manuscripta, sive typis impressa: sive prius parata, sive in actu celebrationis sponsalium confecta: sive a personis subsignatis, de quibus supra, sive ab extraneis exarata: dummodo in forma Decreti redacta fuerit, idest actum sponsalitium exprimat et subsignata sit a personis, uti supra (n. 1.), cum appositione datae.

3. *Scriptura quomodo subsignanda* — Qui scripturam ad eius valorem subsignare debent, uti supra (n. 1.), *manu ipsi sua* subscribere tenentur. Propterea nec machina scribendi uti possunt (2),

nec aliena manu ita duci ut *causalitas principalis* scriptionis eisdem non maneat. In dubio utrum causa principalis scriptionis fuerit ille, qui duxit, an qui ductus est, cautius erit novum testem adiungere iuxta infra dicenda (n. 5.) cum clausula: *Subscribit ad cautelam Titius testis loco Sempronii contrahentis, qui forte scribere nescit.*

4. *Scriptura subsignanda unico contextu* — Ad valida ineunda sponsalia partes tenentur subsignare scripturam *unico contextu* cum Parocho vel Ordinario, aut cum duobus testibus; nec sufficit ut scriptura, ab una parte cum Parocho vel cum duobus testibus subsignata, remittatur ad alteram partem, quae vicissim cum Parocho vel cum duobus testibus subscribat (S. C. C. die 27 iulii 1908 ad 1. — V. sup. pag. 11). Aliis verbis: scriptura sponsalitia esse debet *una* et subsignari a partibus cum Parocho, vel loci Ordinario, vel cum duobus testibus, *coram omnibus simul.*

5. *Pars scribere nescia* — Si utraque vel alterutra pars scribere *nesciat,* id in ipsa scriptura notandum est, eiusque loco subsignet alius testis *vel* cum Parocho, *vel* cum loci Ordinario, *vel* cum duobus testibus, ut supra n. 1. (can. 1.).

6. *Impotens ad scribendum* — Scribere nescienti aequiparandus ille, qui, quamvis scribere sciat, corporali tamen detinetur infirmitate vel alio impedimento quominus scribat. Quo in casu novus addendus testis ut in casu praecedenti.

7. *Data* — Ad valorem sponsalium in scriptura apponenda est *data* per adscriptionem diei, mensis et anni (n. 1.). *Convenit,* ad dubia et incommoda cavenda, et *locum* sponsalium apponere, si cum partibus non testes subsignent, sed vel Parochus, vel loci Ordinarius: testes enim *ubique* subsignare possunt, Parochus vero et Ordinarius, ex decisione S. C. C. 28 martii 1908 ad 7. (sup. pag. 10.), nonnisi *intra limites sui territorii* — *Error* in data *per se* invalidat actum, quia data falsa non est data: si autem constet errorem *involuntarium* fuisse, standum est pro valore actus ex praesumpta voluntate legislatoris nolentis in tali casu actum irritare.

8. *Conditiones substantiales* — Si contingat, sponsalia iniri sub aliqua conditione vel substantiali, vel *sine qua non, tutius* erit, sin minus necessarium ad valorem actus, talem conditionem in ipsa scriptura exprimere. Dixi: *sin minus necessarium.* Hinc enim huiusmodi conditiones substantiam actus ingredi *videntur,* inde vero contractus sponsalitius, utique prout iacet, ex novo iure scripturâ perfici debet. Tales conditiones sunt v. g. si obtineatur consensus parentum, si pars haeretica convertatur, si sponsus lauream consequetur, si sponsa haereditatem adibit, si lis, quam sustines, intra tres menses non fuerit tibi favorabiliter finita.

9. *Sponsalia per procuratorem* — In nova disciplina sponsalia *per procuratorem* non prohibentur. At, quoniam procurator personam gerit ipsius mandantis, opus est ad valorem sponsalium ut procurator ipse scripturam sponsalitiam pro mandante subscribat. Quod si scribere ipse nesciat aut non valeat, idem servetur quod supra (n. 5. et 6.) dictum est.

10. *Sponsalia informia* — Sponsalia *informia* seu quae aliter inita sunt quam in forma Decreti, statim pro irritis sunt habenda, ante omnem Iudicis declarationem vel sententiam, nullosque propterea canonicos effectus sortiri censeri debent, tam in externo quam *in interno foro* (3). Idque tenendum, etiamsi fuerint iuramento firmata (4).

11. *Sponsalia unilateralia* — Quae dicuntur sponsalia *unilateralia* seu *incompleta*, quae scilicet *repromissionem* non continent, sive per scripturam inita sint, sive oretenus, retinent *pro foro interno* eumdem illum valorem, quem ante novum ius eisdem vindicabant Auctores. Huiusmodi enim sponsalia a decreto *Ne temere* nullomodo tanguntur: de hisce ergo sponsalibus valent adhuc quae antea de ipsis tradebant vel disputabant AA.

12. *Sponsalia a parentibus nomine filiorum inita* — Novo iure cessare dispositionem iuris antiqui (5), ex qua habebantur uti valida sponsalia a parentibus inita nomine filiorum vel *praesentium* et tacentium, vel *absentium* quidem, sed postea expresse aut tacite ratihabentium, etiamsi huiusmodi sponsalia a parentibus scripturà ineantur et filii scribere nesciant aut non valeant, tenent aliqui (6). Novo enim iure, aiunt, ad valorem actus requiritur scriptura *a partibus* subsignanda (n. 1. coll. n. 4. 5. 6.). At contra excipi potest, nomine *partium* et illos venire posse, qui sponsos repraesentent, vel *legaliter* uti parentes filios, vel *ex mandato* uti procurator (n. 9.).

13. *Matrimonia impuberum* — Certum tamen, novo iure cessare aliam iuris antiqui dispositionem (7), ex qua matrimonia impuberum, vel impuberis cum pubere, etsi invalida ob impedimentum aetatis, vim tamen sponsalium habebant: deest enim his sponsalibus forma Decreti seu scriptura.

14. *Sponsalia impuberum* — Valent autem sponsalia impuberum post septennium inita in forma Decreti, et etiam ante septennium, si malitia supplet aetatem. Cum vero impuberes ad pubertatem venerint, possunt vel illa rescindere, firmo tamen manente impedimento *publicae honestatis*, vel etiam non rescindere, quin opus sit renovatione consensus. Novum enim ius nullam hac in re mutationem induxit.

15. *Sponsalia in ordine ad actum civilem* — Scriptura sponsalitia, quae fortasse fiat in ordine ad contractum matrimonialem civiliter ineundum iuxta art. 54 Cod. Civ. (8), quamvis forte redacta in forma Decreti, idest subsignata a partibus et duobus testibus, vim contractus sponsalitii potest habere vel non habere, quatenus intenditur vel excluditur matrimonium religiosum. Postulatio autem publicationum coram civili Officiali scripto facta pro futuro matrimonio iuxta aa. 66. 67 R. Decreti 19 octobris 1865, nullo in casu sponsalibus aequivalet. Cum enim ne in sensu quidem legis civilis valorem habeat sponsalium, nequeunt partes ampliorem vim tali actui tribuere, nisi ulterior accedat declaratio.

16. *Contractus ipse civilis* — Nec ipse civilis contractus ullatenus sortitur vim sponsalium, etsi forte per scripturam initus subsignatam a partibus et a duobus testibus cum appositione datae, uti supra (n. 1), quamvis forte partes intendant per talem actum sponsalia inire de futuro matrimonio (9).

17. *Scriptura sponsalitia si perierit* — Si forte contigerit scripturam sponsalitiam periisse, testimonialibus autem probationibus aut aliter constiterit de sponsalibus in forma Decreti initis, pro eorum existentia et canonicis effectibus standum est tam in interno, quam in externo foro. Quamvis enim in nova disciplina ad valorem sponsalium requiratur scriptura, semel ac tamen sponsalia per scripturam in suo esse constituta sunt, eorum existentia *ordinario* quidem scripturâ ipsâ sponsalitiâ demonstratur, at in defectu scripturae amissae, destructae, occultatae, etc... aliis quoque probationibus demonstrari potest, inter quas probationes quoque testimoniales,

quae in Iure admittuntur ad probandam existentiam sive alicuius obligationis, sive cuiuslibet facti iuridici.

18. *Sponsalium solutio* — Sponsalia, quamvis per scripturam contrahi debeant, tamen opus non est ut scripturâ dissolvantur, sed rescindi possunt ut ante novum ius, idest vel solo consensu verbis expresso, vel omni aliâ causâ iuris antiqui. At in foro externo, quousque scriptura sponsalitia opponitur, positiva requiritur solutionis probatio.

ART. II. — *De Parocho · de Ordinario · de Testibus sponsalium.*

Canon II.

« *Nomine Parochi hic et in sequentibus articulis venit non* « *solum qui legitime praeest paroeciae canonice erectae, sed in* « *regionibus, ubi paroeciae canonice erectae non sunt, etiam sa-* « *cerdos, cui in aliquo definito territorio cura animarum legitime* « *commissa est, et Parocho aequiparatur: et in missionibus, ubi* « *territoria necdum perfecte divisa sunt, omnis sacerdos a mis-* « *sionis moderatore ad animarum curam in aliqua statione uni-* « *versaliter deputatus* » — Decr. *Ne temere* n. 2.

Canonis secundi explanatio.

19. *Triplex parochorum genus* — Ex relato canone secundo Decr. *Ne temere* triplex parochorum genus, in ordine ad sponsalia, distinctim considerandum est, scilicet — *a*) Parochi in paroeciis canonice erectis — *b*) Parochi in paroeciis non canonice erectis, sed in definitis tantum territoriis curam animarum exercentes, perfecte tamen divisis — *c*) Parochi in missionibus, ubi territoria necdum perfecte divisa sunt. Quibus — *d*) adiungendi quoque sunt parochi *personales* seu qui in determinatas tantum personas seu familias curam animarum exercent, minime vero curam *territorialem*.

20. *Parochus in paroeciis canonice erectis* — *Parochi* nomine, in regionibus ubi paroeciae canonice erectae sunt, ille venit, *qui paroeciae legitime praeest* (can. 2.) seu qui *de facto* paroeciam administrat cum aliquo *titulo* in Iure *legitimo*, sive ad tempus, sive in perpetuum. Hinc valide sponsalia subsignat — *a*) Parochus *titularis*, sive inamovibilis, sivè amovibilis — sive verus, sive praesumptus interveniente errore communi cum titulo colorato aut existimato — sive sacerdos, sive diaconus aut simplex clericus (10). Item — *b*) Oeconomus seu Vicarius *spiritualis* paroeciae vacantis — *c*) *Administrator* paroeciae non vacantis cum delegatione ad universitatem causarum, etiam praesente parocho titulari — *d*) *Vicarius parochi habitualis* v. g. vicarius Episcopi, Capituli, Conventus, Collegii curam habitualem exercentium — *e*) Sacerdos ab Ordinario vel a Parocho *deputatus*, ad normam iuris vel praxis in Dioecesi vigentis, ad universalem curam paroeciae, parocho etiam non impedito, imo et presente, nisi forte sponsalium et matrimoniorum adsistentia exclusa fuerit.

21. *Parochi et Sacerdotes incompetentes* — Invalide autem sponsalia subsignat — *a*) Parochus publico decreto nominatim *excommunicatus* vel *ab officio suspensus:* talis enim Parochus, quamvis

legitimum habeat titulum parochialitatis, *actuali* tamen paroeciae praesidentia destituitur. Item — *b*) Sacerdos, qui forte fuerit a Parocho vel loci Ordinario *specialiter* delegatus ad sponsalia *tantum* excipienda (S. C. C. 28 martii 1908 ad 5. — V. sup. p. 10). Imo — *c*) et Sacerdos *specialiter* deputatus ad *omnia* sacramenta in paroecia administranda: ex declaratione enim S. C. O. die 7 septembris 1898 in tali deputatione haud necessario includitur facultas adsistendi matrimoniis: ergo nec sponsalibus.

22. *Parochi competentia est territorialis* — Parochus sponsalium est tantum Parochus *loci,* in quo perficitur contractus sponsalitius (S. C. C. 28 martii 1908 ad 7. — V. sup. pag. 10). In tali enim actu Parochus publicum notarium agit: notarius autem nonnisi in suo districtu rogare potest. Valide autem subsignat in Ecclesia exempta, dummodo haec sita sit in territorio suae paroeciae vel sibi assignato (S. C. de Sacram. 12 martii 1910 ad 8. — V. sup. p. 15).

23. *Parochi habentes subditos in alieno territorio* — Si tamen Parochus nonnullas personas vel familias sibi subditas habeat in territorio alterius paroeciae, vel alteri Parocho assignato, horum suorum subditorum sponsalibus in toto illo alieno territorio licite et valide subscribit, *cumulative* tamen cum Parocho illius territorii (S. C. C. die 1 febr. 1908 ad 9. quoad matrimonia: ergo et quoad sponsalia. — V. sup. p. 8).

24. *Parochi habentes territorium commune* — Parochus habens territorium commune cum alio Parocho, adeo ut parochiae distinctae sint non ratione territorii, sed vel ratione *familiarum*, vel *linguae*, vel *ritus,* erit parochus competens sponsalium pro *toto* illo territorio et pro *quibuslibet* inibi sponsalia contrahentibus (S. C. C. die 1 febr. 1908 ad 8. — V. sup. pag. 8).

25. *Parochi in territoriis divisis* — In regionibus, ubi paroeciae non sunt canonice erectae, territoria autem sunt *divisa* et proprio rectore donantur ad instar missionum (uti in Anglia et in Statibus Foederatis Americae septemtrionalis), nomine Parochi venit rector iste seu Sacerdos, cui in aliquo definito territorio cura animarum est legitime commissa et Parocho aequiparatur (can. 2).

26. *Parochi in territoriis indivisis* — Denique in regionibus, in quibus non modo desunt paroeciae canonice erectae, sed ne divisa quidem territoria existunt, uti in Missionibus, Parochi nomine venit *omnis* Sacerdos a Missionis Moderatore ad animarum curam in aliqua statione *universaliter* deputatus (can. 2). Qui Sacerdotes, ex analogia cum Parochis commune territorium habentibus (sup. n. 24), cumulativam habent pro *toto* illo Missionis territorio parochialem sponsalium competentiam, sive stabiliter, sive tantum ad tempus deputentur, nisi eorum facultas explicite restringatur.

27. *Moderator missionis* — de quo supra, est Vicarius aut Praefectus Apostolicus, omnisque Rector seu Superior missionis, qui a Sancta Sede immediate dependeat: minime vero Superior regularis *qua talis*, nec Visitator missionis *qua talis*, quamvis plerumque Visitatores, pro specialibus acceptis facultatibus, parochialem competentiam habeant.

28. *Parochi personales* — Qui munus parochiale exercent non *territoriale*, sed *personale* tantum, seu in determinatas personas vel communitates aut familias, adeo ut eas sequantur quocumque ierint, cum parochiali potestate, eadem matrimoniali competentia quoad illas personas seu communitates aut familias nunc pollent,

qua ante decretum *Ne temere* (S. C. C. 1 febb. 1908 ad 7. — V. sup. p. 8.). Tales porro sunt Cappellani castrenses necnon Cappellani regii et gentilitii.

29. *Rectores piorum locorum* — Cappellani seu Rectores piorum cuiusvis generis locorum, quibus constiterit plenam potestatem parochialem commissam fuisse, competentiam pariter parochialem habebunt tum quoad sponsalia, tum quoad matrimonia, pro personis tamen sibi creditis et in loco suae iurisdictionis, *cumulative* tamen cum Parocho loci, dummodo non agatur de loco *omnino* exempto (S. C. C. 1 febr. 1908 ad 10 — V. sup. pag. 8.).

30. *Ordinarius* — *Ordinarii* nomine, ex declaratione S. C. O. 20 febr. 1888, veniunt Episcopus, Administrator Apostolicus, Vicarius seu Praefectus Apostolicus, eorumque Officiales seu Vicarii in spiritualibus generales, necnon Sede vacante Vicarii Capitulares. His accensendi Legati Pontificii a latere pro provincia suae legationis, et Metropolita in munere visitationis, minime vero Nuntii aut Delegati Apostolici, nec Cardinales in suis titulis.

31. *Testes sponsalium* — Quotquot, *spectato iure naturae*, capaces sunt testimonii ferendi et scripturae subsignandae, testes sponsalium adhiberi possunt, nulla speciali requisita qualitate sive aetatis, sive sexus, sive status, sive familiae, sive religionis.

32. *Vis, fraus et metus* — Si a Parocho, vel a loci Ordinario, vel a testibus, subsignatio sponsalium vi, fraude aut metu licet iniusto extorta fuerit, non idcirco sponsalia invalida erunt. Non ideo enim eorum testificatio desinit esse testificatio de initis sponsalibus inter Titium et Sempronìam.

Caput II. - De Matrimonio regulariter celebrando.

Art. I. - De forma substantiali matrimonii — II. - De valida matrimoniorum adsistentia — III. - De licita matrimoniorum adsistentia — IV. - De delegata matrimoniorum adsistentia.

Art. I. — *De forma substantiali matrimonii.*

Canon III.

« *Ea tantum matrimonia valida sunt, quae contrahuntur coram Parocho vel loci Ordinario, vel Sacerdote ab alterutro delegato et duobus saltem testibus, iuxta tamen regulas in sequentibus articulis expressas et salvis exceptionibus, quae infra n. VII. et VIII. ponuntur* » — Decr. *Ne temere* n. 3.

Canonis tertii explanatio.

33. *Forma substantialis matrimonii* — ex vigenti lure *regulariter* in eo sita est ut ipsum celebretur coram Parocho, *vel* loci Ordinario, *vel* Sacerdote ab alterutro delegato, et duobus saltem testibus (can. 3). Ubi advertas oportet, quae supra de Parocho et Ordinario sponsalium dicta sunt, valere quoque de Parocho et Ordinario matrimonii.

34. *Testes validi matrimonii* — Quotquot, *spectacto iure naturae*, capaces sunt testimonii ferendi de inito matrimonio in forma Decreti, sunt testes *validi* matrimonii (S. C. de Prop. Fide 2 iulii 1827), quamvis prius non fuerint *explicite* designati, nec rogati ut testes: imo quamvis inviti, fraude decepti, vel metu aut vi coacti (sup. n. 32), sub conditionibus tamen, de quibus infra (n. 36).

35. *Testes liciti matrimonii* — Sunt tantum *catholici*, si horum copia facile haberi queat (S. C. O. 19 augusti 1891), in ipso saltem celebrationis actu designati ac rogati, ut eorum nomina in libris matrimonialibus describi possint, ex praescripto Ritualis Romani necnon ex decreto *Ne temere* (n. 9).

36. *Qualis Parochi et testium adsistentia* — Ad valorem matrimonii Parochi ac testium adsistentia quintuplici qualitate pollere debet, scilicet esse debet — *a*) *completa*, idest complecti debet integrum ritum substantialem matrimonii, ab exquisitione consensus utriusque partis ad eius emissionem et receptionem — *b*) *simultanea*, quatenus Parochus et testes *simul* adesse debent consensui utriusque nupturientis — *c*) *physica*, quatenus partes consensum emittere debent *coram* Parocho et testibus — *d*) *moralis*, quatenus Parochus et testes mutuum partium consensum signo non ambiguo manifestatum percipere debeant — *e*) *formaliter* a partibus *volita*, quatenus « sponsi, saltem de facto et implicite, in « ipso actu celebrationis matrimonii, signis indicent, se scienter « illos ut testes adhibere velle » (Ita Wernz n. 192 pag. 298, 4). Quod sic explicat Vermeersch n. 40: « Formaliter, inquam, volita, « non quatenus aliqua testium electio vel designatio sit necessaria, « sed quatenus partes, consciae de praesentia personarum, quae « ex aptis signis mutuum deprehendant consensum, sic contrahere « voluerint ».

Art. II. — *De valida matrimoniorum adsistentia.*

Canon IV.

« *Parochi et loci Ordinarii valide matrimonio adsistunt:*

§ 1. « *A die tantum adeptae possessionis beneficii vel initi « officii, nisi publico decreto nominatim fuerint excommunicati « vel ab officio suspensi;*

§ 2. « *Infra limites dumtaxat sui territorii, in quo matri- « moniis nedum suorum subditorum, sed etiam non subditorum « valide adsistunt;*

§ 3. « *Dummodo invitati ac rogati, et neque vi, neque gravi « metu constricti, requirant excipiantque contrahentium consen- « sum* » — Decr. *Ne temere* n. 4.

Canonis quarti explanatio.

37. *Conditiones ad validam adsistentiam* — Ad validam matrimoniorum adsistentiam aliae conditiones requiruntur *in persona* adsistentis, aliae *in loco* adsistentiae, aliae *in modo* adsistendi (can. 4.).

38. *In persona* — In persona adsistentis Parochi vel Ordinarii *positive* requiritur ut possessionem beneficii sint adepti vel saltem

officium inierint, *negative* vero ne publico decreto sint *nominatim* excommunicati vel ab officio suspensi (can. 4. § 1.).

39. *Possessio beneficii — Initum officium* — Possessionis nomine hic intelligitur possessio *canonica*, ille scilicet actus, ex quo fit, attenta vel generali vel locali disciplina, ut ille, qui in beneficium institutus est, adipiscatur liberum suae potestatis exercitium (11). Officium autem *inire* in praesentiarum ille censetur, qui, annuente Superiore, officium Parochi vel Ordinarii *de facto* exercere incipit, sive sit beneficiatus ipse, *formalem* sui beneficii possessionem nondum adeptus, sive sit alius v. g. Vicarius Capitularis, Oeconomus spiritualis, etc...

40. *Excommunicatio nominativa* — hic rigorose accipienda est, pro ea nempe qua persona proprio nomine ac praenomine, vel saltem aequipollentibus verbis individuatur; nec sufficit sola *notorietas* excommunicationis *ipso facto* incursae ob aliquod crimen in Iure expressum.

41. *Item suspensio* — rigorose accipienda est prout sonat, pro *plena* scilicet ac *totali* ab officio parochiali suspensione, nec sufficit *partialis* suspensio vel *ab ordine*, vel *a beneficio*, vel etiam *a parochiali iurisdictione* (12) — Appellatio tamen *in suspensivo* impedit effectum excommunicationis et suspensionis, sicut generatim, ita et speciatim quoad matrimonia.

42. *In loco* — Quoad *locum* adsistentiae requiritur ad valorem actus ut Parochus vel loci Ordinarius agant « intra limites *dumtaxat* « sui territorii, in quo matrimoniis nedum suorum subditorum, sed « etiam non subditorum valide adsistunt » (can. 4. § 2.) — Aliis verbis: competentia matrimonialis Parochi et Ordinarii non est *personalis*, sed *territorialis*, exceptis Parochis personalibus.

43. *Territorium* — pro *Parocho* est vel parochia canonice erecta (sup. n. 20), vel missio perfecte divisa (sup. n. 25), vel regio, in qua sacerdos generalem habet curam animarum (sup. n. 26) — Pro *Ordinario* territorium est dioecesis, vel vicariatus, vel praefectura apostolica, vel locus pontificiae legationis — Pro *Metropolita*, visitatoris officio fungente, est provincia ecclesiastica seu singulae dioeceses suffraganeae pro respectivo visitationis tempore.

44. De Parochis autem territorium *commune* vel personas aut familias sibi subditas in alieno territorio habentibus: item de Parochis *personalibus*, deque Rectoribus parochialibus piorum locorum ea valent, quae de iisdem supra dicta sunt quoad sponsalia.

45. *In modo* — denique adsistendi tria requiruntur ad valorem matrimonii, scilicet — *a*) ut Parochus vel loci Ordinarius fuerint *ad hoc invitati ac rogati* — *b*) ut non sint *vi aut gravi metu* ad adsistendum constricti — *c*) ipsique *requirant* et *excipiant* contrahentium consensum (can. 4).

Satis etiam esset, si invitatio ab *alterutra* tantum parte fieret, imo et a persona *extranea*, nomine tamen vel *loco* utriusque vel alterutrius partis contrahentis. Ratio enim, qua decernitur invitatio et rogatio Parochi, est ut Parochus sit tutus ab insidiis, atque ita praecaveantur matrimonia ex inopinato (matrimonii *di sorpresa*) minime autem ut iam in ipsa invitatione partes consensum emittant. Id autem obtinetur sive invitatio fiat directe a partibus, sive indirecte tantum a partibus procedat.

46. *Invitatio* — Non requiritur invitatio *explicita*, sed sufficit invitatio *tacita* et *implicita* (S. C. C. 28 mart. 1908 ad 4. — V.

sup. pag. 10), qualis v. g. existeret si Parochus ipse partes induxerit ut coram se consensum emitterent — Item si v. g. sponsi se sisterent coram Parocho cum solito comitatu et vestibus, quibus sponsi induuntur, hoc facto significarent, se eius adsistentiam postulare: et haec quidem invitatio, quae *tacita* esset ex parte sponsorum, *praesumpta* dicenda foret ex parte Parochi — *Interpretativa* autem invitatio non sufficit, quia neque nunc existit, nec unquam extitit, sed tantum *existeret*, si sponsi de hoc cogitarent: ergo *nullo pacto* existit.

47. *Metus* — invalidans matrimonium est *omnis* metus *gravis* in ordine ad extorquendam Pastoris assistentiam, sive iniustus existat, sive etiam iustus; sive a contrahentibus, sive ab aliis incussus — Metus tamen, quem parit legitimus ad Superiorem recursus vel recurrendi comminatio, si Parochus *irrationabiliter* nolit sponsos coniungere, matrimonium haud invalidat. Talis enim recursus est medium *legale* — Item dolus et fraudes a contrahentibus aliisve adhibitae ad extorquendam Pastoris adsistentiam, valori matrimonii non nocent. Lex enim nonnisi eam libertatem in Parocho requirit, quae vi vel gravi metu, non aliâ causâ, impediatur.

48. *Exquisitio consensus* — a Parocho vel ab Ordinario facienda, tam verbis, quam certis aequipollentibus signis fieri potest, v. g. nutibus, scripto etc... Talis vero exquisitio ita necessaria est ad valorem actus, ut, si partes ultro illum emitterent, Parocho non interrogante, invalidum foret matrimonium. Finis enim novae legis est ut Parochus a vi atque insidiis tutus evadat. Porro omnibus evidens est, Parochum interrogando quidem et excipiendo responsa ultroneum testem esse emissi consensus, minime vero si secus fiat.

49. *In matrimoniis mixtis* — Consensus contrahentium exquirendus et excipiendus est etiam in matrimoniis *mixtis*, servatis tamen, ad liceitatem, praescriptionibus et instructionibus S. Sedis quoad reliqua (S. C. C. 27 Iulii 1908 ad 3. — V. sup. pag. 11) — Quapropter assistentia mere *passiva* ad valorem matrimonii non amplius sufficit, sed *activa* semper requiritur.

50. *Matrimonia per alios* — In nova disciplina adhuc subsistunt, quae de matrimoniis per interpretem, per procuratorem, per litteras tradebant vel disputabant AA. Subiacent tamen matrimonia sic ineunda conditionibus supra recensitis.

Art III. — *De licita matrimoniorum adsistentia.*

Canon V.

« *Licite autem adsistunt* (*matrimoniis Parochi et loci Ordinarii*):

§. 1. « *Constito sibi legitime de libero statu contrahentium* « *servatis de iure servandis:*

§. 2. « *Constito insuper de domicilio vel saltem de menstrua* « *commoratione alterutrius in loco matrimonii:*

§. 3. « *Quod si deficiat ut Parochus et loci Ordinarius licite* « *matrimonio adsint, indigent licentia Parochi vel Ordinarii* « *proprii alterutrius contrahentis, nisi gravis intercedat neces-* « *sitas, quae ab ea excuset:*

§. 4. *Quoad vagos, extra casum necessitatis, Parocho ne liceat* « *eorum matrimoniis assistere, nisi, re ad Ordinarium vel ad*

« *Sacerdotem ab eo delegatum delata, licentiam adsistendi im-*
« *petraverit* :

§. 5. « *In quolibet autem casu pro regula habeatur, ut ma-*
« *trimonium coram sponsae Parocho celebretur, nisi aliqua iusta*
« *causa excuset* » — Decr. *Ne temere* n. 5.

Canonis quinti explanatio.

51. *Conditiones ad licitam matrimoniorum adsistentiam* — Ut Parochus vel loci Ordinarius aut Sacerdos delegatus licite possit matrimonio adsistere, sequentes conditiones requiruntur — *a*) ut certiorem se fecerit de libero statu contrahentium — *b*) necnon de domicilio vel saltem de menstrua commoratione alterutrius in loco matrimonii — *c*) ut, deficiente domicilio vel menstrua commoratione, licentiam obtineat a Parocho vel ab Ordinario proprio alterutrius contrahentis, excepto casu gravis necessitatis ab ea excusantis — *d*) ut, si de vagis sermo sit extra casum necessitatis, re prius delata ad Ordinarium vel ad Sacerdotem ab eo delegatum, licentiam adsistendi ab eodem impetraverit — *e*) De regula autem ordinaria et extra casum cuiusvis iustae causae excusantis, Parochus matrimonii erit Parochus sponsae (can. 5).

52. *Status libertatis* — Primo igitur, ut Parochus vel loci Ordinarius licite matrimoniis adsistat, se certiorem facere debet de libero statu contrahentium — *Modus* autem, quo id illis constare debet, nullus a nova lege determinatur, sed ad ius locale attendendum est, statutis vel legitima consuetudine inductum (S. C. C. 1. febr. 1909 — V. sup. pag. 8).

53. *Domicilium vel menstrua commoratio* — Secundo loco Parocho vel Ordinario oportet ut constet de domicilio vel saltem de menstrua commoratione alterutrius contrahentis in territorio ipsius Parochi vel loci Ordinarii. Porro domicilium huiusmodi praecedenti adhuc iure regitur, ideoque esse potest vel *reale* vel tantummodo *legale* (13): at si reale, *plenum* sit oportet, nec sufficit *semiplenum* seu *quasi-domicilium*, quod in re matrimoniali nove iure abrogatum est, eidem suffecta menstrua commoratione, quae tota *in solo facto* consistit realis residentiae in loco matrimonii (S. C. C. 28 mart. 1908 ad 5. — V. sup. pag. 10).

54. *Qualis menstrua commoratio* — Menstrua commoratio, ad effectum liceitatis matrimonii, triplici qualitate gaudere debet sc. esse debet *completa*, *continua* et ad diem usque matrimonii *perseverans*.

55. *Completa* — Primo igitur sit *completa* seu per integrum mensem, quo intelligitur tum spatium 30 dierum, tum etiam pro casuum diversitate mensis Calendarii v. g. a prima die Ianuarii ad diem trigesimam, vel a die 15 Ianuarii ad diem 14 Februarii, vel a primo die ad diem 28 Februarii, vel a die 15 Februarii ad diem 15 Martii. Dies inceptus habetur pro completo.

56. *Continua* — Secundo menstrua commoratio sit *continua* seu triginta diebus continuis contineatur. Si absentia a loco commorationis non ultra duos dies producatur, menstruam commorationem tantummodo *suspendit*, adeo ut praecedens commoratio cum subsequenti uniri possit ad mensem utilem perficiendum. Si secus, eam *interrumpit* adeo ut novus mensis incipi debeat. Absentiae autem

uno die minores, etsi quotidianae, in mense utili computantur (Vermeersch n. 58 cum ceteris) — Ceterum generalis haec regula quoad menstruam commorationem habeatur, ut locus licitus matrimonii ille habeatur, qui iuxta moralem aestimationem principaliorem commorationem utriusque vel alterutrius contrahentis constituit (14).

57. *Perseverans* — Tertio menstrua commoratio ad diem usque matrimonii *perseveret* oportet, seu dies celebrationis matrimonii in menstrua habitatione in eodem loco includenda est.

58. *Locus matrimonii* — in quo alterutra pars domicilium vel menstruam commorationem habere debet, est territorium, in quo Parochus et Ordinarius suam possident et exercent iurisdictionem: quod pro Parocho est sua paroecia, pro Ordinario autem integra dioecesis — Porro si de *domicilio* alterutrius contrahentis agatur, istud intelligitur semper *parochiale;* quoad Parochum quidem in sua paroecia, quoad Ordinarium in aliqua suae dioecesis paroecia, minime vero *dioecesanum.* Si vero de *menstrua commoratione,* haec esse debet *parochialis* quoad Parochum, sufficit *dioecesana* quoad Ordinarium (15).

59. *Licentia proprii Parochi* — Deficiente domicilio vel menstrua saltem commoratione alterutrius contrahentis, ad liceitatem adsistentiae requiritur *per se* licentia Parochi vel Ordinarii alterutrius nupturientis, illius inquam Parochi vel Ordinarii, in cuius territorio alteruter ex contrahentibus domicilium habeat vel menstruam saltem commorationem — Licentia huiusmodi tam scripto, quam viva voce peti potest et concedi: nulla enim forma istius petendae vel concedendae licentiae in lure determinatur. Imo sufficit licentia etiam *tacita,* necnon rationabiliter *praesumpta.*

60. *Iudex opportunitatis* — dictae licentiae concedendae *per se* est Parochus vel Ordinarius, a quo illa petenda est — Ab ea autem petenda excusat gravis necessitas, de qua iudicare pertinet ad Parochum vel Ordinarium loci, in quo partes nubere velint.

Gravis haec necessitas exurgere debet hinc quidem ex eo quod urgeat matrimonii celebratio v. g. si secus matrimonium civile pertimescitur; inde vero quod difficile sit tempestive obtinere licentiam v. g. si adiri nequeunt tum Ordinarius, tum Parochus sponsi vel sponsae.

61. *Quoad vagos* — Parochus regulariter adsistere nequit matrimoniis *vagorum* sine licentia Ordinarii vel Sacerdotis ab eo hac in re delegati (sup. § 4), excepto casu necessitatis (ib.), de quo Parochus ipse iudicabit — *Vagorum* autem *nomine,* novo iure, illi veniunt, qui nec domicilium parochiale, nec menstruam parochialem vel dioecesanam commorationem *ullo in loco* habent. Qui autem *momentanee* sunt vagi, coniungi possunt a Parocho loci, in quo contrahere velint, absque Ordinarii licentia. Tales v. g. sunt, qui, primo relicto domicilio, in itinere sunt ad novum acquirendum. Si autem sponsorum alter tantum vagus fuerit, suum privilegium alteri communicat, ut a Parocho loci coniungi possit sine licentia Ordinarii vel Parochi alterius coniugis, prius tamen obtenta Ordinarii vel Sacerdotis delegati licentia pro vago, ut supra.

62. *Parochus de regula ordinaria* — Regula autem ordinaria haec habeatur, ut matrimonium celebretur coram sponsae Parocho, seu in parochia in qua ipsa habet domicilium vel menstruam commorationem. Quaevis autem sive convenientiae, sive utilitatis iusta causa, ad prudens Parochi iudicium, ab hac regula excusat.

ART. IV. — *De delegata matrimoniorum adsistentia.*

Canon VI.

§. 1. « *Parochus et loci Ordinarius licentiam concedere pos-*
« *sunt alii Sacerdoti determinato ac certo, ut matrimoniis intra*
« *limites sui territorii adsistat* ».

§. 2. « *Delegatus autem ut valide et licite assistat, servare*
« *tenetur limites mandati, et regulas pro Parocho et loci Ordi-*
« *nario n. IV. et V. superius statutas* » — Decr. *Ne temere* n. 6.

Canonis sexti explanatio.

63. *Facultas delegandi* — Parochus et loci Ordinarius suam matrimoniorum adsistentiam aliis delegare possunt (can. 6. §. 1.) Suam, inquam, adsistentiam aliis delegare possunt, eam nempe qua ipsi pollent. Hinc invalida delegatio — *a*) si ipsi delegantes sui beneficii possessionem nondum adepti fuerint vel saltem officium nondum inierint (sup. n. 38 sqq.) — *b*) si publico decreto sint nominatim excommunicati vel ab officio suspensi (ibid.) — *c*) si eam exercendam concesserint extra fines sui territorii: excepto casu quo delegatio facta fuerit alteri Parocho vel Ordinario, et hi matrimonio adsistant intra limites sui territorii (sup. n. 42 sqq.).

64. *Sacerdos delegandus — certus ac determinatus* — Delegari nequit ad matrimonia nisi *Sacerdos* seu qui presbyteratus ordine insignitus sit (can. 6. §. 1.), quamvis iste non sit adprobatus ad curam animarum vel confessiones audiendas. Hinc invalida delegatio, quae fieret Parocho diacono, excepto casu, quo hic ex delegatione quidem matrimonio adsisteret, sed intra limites sui territorii. Valide autem adsisteret ex delegatione Sacerdos *putativus* interveniente errore communi cum titulo saltem existimato, Ecclesia tunc supplente ob bonum commune (V. sup. n. 20). Sacerdos autem ad matrimonia delegatus, esse debet *certus* ac *determinatus* (can. 6. §. 1.) seu designari debet a delegante vel in nomine vel in officio: et delegatio fieri potest tam uni quam *pluribus*. Superiore quidem iure triplex delegatio distinguebatur sc. delegatio *unius*, delegatio *complurium* v. g. matrimonio adsistet Petrus vel Paulus vel Andreas, prouti ipsis libuerit, vel unus in defectu alterius: et delegatio *indeterminata* v. g. delegatio Sacerdotis quem partes elegerint. Porro novo iure sola haec postrema delegatio suppressa est.

65. *Multiplex delegatio* — Delegatio ad matrimonia quadruplex esse potest: — *a*) *specialis*, si ad aliquod determinatum matrimonium vel determinatam matrimoniorum classem fiat — *b*) *generalis*, si delegatio ad omnia matrimonia indiscriminatim fiat — *c*) *formalis*, si eadem explicite concedatur — *d*) *virtualis*, si implicite contineatur in delegatione ad universitatem causarum, quae fiat Sacerdoti vicario vel alteri Sacerdoti, qui Parochum absentem suppleat. Numquam tamen ea continetur in generali facultate administrandi omnia sacramenta (V. sup. n. 21).

66. *Facultas subdelegandi* — Delegatus ad matrimonia potest subdelegare — *a*) si delegatus fuerit a R. P. non tamen *ratione personae* — *b*) si delegatus fuerit ad universitatem causarum — *c*)

si delegatus fuerit cum facultate subdelegandi, dummodo delegans ipse Sacerdotes subdelegandos designaverit *certos* ac *determinatos*, ut supra dictum est (n. 64).

67. *Quomodo facienda delegatio* — Delegatio (et subdelegatio) fieri debet — *a) actu aliquo positivo*, sive scripto sive verbis, sive personaliter sive per nuntium aut procuratorem, dummodo tali modo fiat ut de illa in foro externo per certam probationem constare possit. Hinc delegatio *tacita* valet, *praesumpta* non valet, quia illa est, haec non est delegatio *actu* posita, sed solummodo *praesumptio* delegationis. Praeterea — *b*) delegatio *voluntaria* sit oportet seu ex actu deliberato delegantis procedens, quamvis forte per vim vel gravem metum extorta (16) — *c*) *intimata* seu aliquo modo *notificata* Sacerdoti delegando (17) — *d*) et ab eodem *acceptata* (18).

68. *Parochi personales* — de quibus supra (n. 28.) eodem iure quoad delegationem nunc fruuntur, quo ante decretum *Ne temere*, ideoque eam concedere possunt aliis, ut antea, at semper personae seu Sacerdoti determinato ac certo.

69. *Obligationes delegati* — Delegatus autem, ut valide et licite matrimonio assistat, servare tenetur limites mandati (can. 6., § 2.), seu conditiones temporis ac loci aliasque conditiones, quibus forte circumscripta fuerit delegatio — insuper servare tenetur regulas, quae Parocho ipsi vel loci Ordinario servandae sunt tum ad validam, tum ad licitam matrimoniorum adsistentiam (can. 4. et 5.). Idest, quaecumque in delegante, sive Parocho sive Ordinario, requiruntur, haec in delegato reperiri debent, sub eadem nullitatis vel illiceitatis sanctione.

70. *Servanda a delegato ad validitatem* — Hinc ad valorem matrimonii delegatus — *a*) ne sit publico decreto nominatim excommunicatus vel ab officio suspensus — *b*) ne assistat extra limites territorii delegantis, excepto casu de Parocho vel Ordinario delegato (n. 63.) — *c*) intersit matrimonio invitatus ac rogatus, nec vi aut gravi metu constrictus, ac ipse requirat et excipiat contrahentium consensum.

71. *Servanda ad liceitatem* — Ad *liceitatem* autem matrimonii delegatus, quatenus delegans ipse haec omnia prius non curaverit, se certiorem faciat — *a*) de libero statu contrahentium — *b*) de domicilio vel saltem de menstrua commoratione alterutrius in territorio delegantis — *c*) in horum defectu, se communiat licentiâ Parochi vel Ordinarii proprii alterutrius contrahentis, excepto casu gravis necessitatis — *d*) sibi comparet, quoad vagos et extra casum necessitatis, licentiam Ordinarii ipsius delegantis vel Sacerdotis ab Ordinario ad id delegati — *e*) *generatim* vero, nisi sufficiens causa excuset, facultatem assistendi a Parocho sponsae delegatus obtineat.

72. *Delegatio cessat* — per revocationem factam a delegante eiusve successore, atque ante nuptias delegato intimatam: nullatenus vero cessat simpliciter per mortem delegantis vel per eius ab officio cessationem.

Caput III. - De Matrimonio « in extremis ».

Canon VII.

« *Imminente mortis periculo, ubi Parochus vel loci Ordinarius* « *vel Sacerdos ab alterutro delegatus haberi nequeat, ad consu-*

« *lendum conscientiae et (si casus ferat) legitimationi prolis, ma-*
« *trimonium contrahi valide ac licite potest coram quolibet Sacer-*
« *dote et duobus testibus* » — Decr. *Ne temere* n. 7.

Canonis septimi explanatio.

73. *Matrimonium in extremis* — In nova disciplina dantur duo casus omnino privilegiati, quorum primus est de matrimonio *in extremis*, in quo *quilibet* Sacerdos, regulariter cum duobus testibus, valide et licite matrimonio adsistit (can. 7.).

74. *Huius casus constitutiva* — Ad hunc casum *specifice* constituendum varia verificari debent *ad valorem actus*, alia quidem uti *historica adiuncta*, alia vero uti *causa legitima* matrimonii *sic* contrahendi. Uti *adiuncta* duo *cumulative* concurrere debent, quod sc. vel utrique vel saltem sponsorum alteri immineat *mortis periculum*, quodque in tanto discrimine idoneus minister haberi nequeat, idest nec Parochus competens, nec loci Ordinarius, nec Sacerdos ab alterutro delegatus. Uti *causa legitima* matrimonii *sic* contrahendi duo pariter, saltem *disiunctive*, interveniant necesse est, quod sc. consuli debeat vel conscientiae contrahentium, vel legitimationi prolis (can. 7.).

75. *Periculum mortis* — Mortis periculum, quod est primum elementum casus praesentis, esse debet *grave*, et, ni certum, saltem vere *probabile*, in alterutro saltem contrahentium, sive ex morbo ipsum immineat, sive ex alia causa v. g. ex naufragio seu periculosa navigatione, ex bellico conflictu, ex operatione chirurgica periculosa, ex difficili partu. Non igitur requiritur *mortis articulus*.

76. *Defectus idonei ministri matrimonii* — Talis defectus, quod est alterum eiusdem casus elementum, huc tandem redire debet quod desit tum tempus tempestive vocandi vel adeundi Parochum, aut loci Ordinarium, aut Sacerdotem ab alterutro delegatum, tum tempus tempestive petendae et obtinendae mediis ordinariis opportunae delegationis (19): *tempestive*, inquam, idest sine probabili periculo mortis partis infirmae vel alterius impedimenti supervenientis (v. g. delirii), quod matrimonium impediat.

77. *Conscientiae compositio* — Haec, quae est *prima* causa legitima seu finis matrimonii *sic* contrahendi, in eo unice sita est, quod per matrimonii celebrationem salus aeterna moribundi, quantum ex hac parte procedit, in tuto collocetur. Omnis propterea alia ratio seu finis, qui supremum hoc bonum non respiciat, non est causa valida matrimonii *sic* contrahendi (20), excepta legitimatione prolis, de qua mox (n. 78.).

78. *Legitimatio prolis* — Haec est altera causa matrimonii tali privilegiata forma ineundi, et respicit tantum, uti patet, prolem quae legitimari possit h. e. prolem *non spuriam*, sive iam *procreatam* sive *procreandam* seu expectatam (21). — *Hisce igitur omnibus concurrentibus*, quilibet Sacerdos, regulariter cum duobus testibus, valide et licite matrimonio adsistit, salva substantia legis quoad consensum contrahentium a Sacerdote exquirendum et excipiendum.

79. *Quilibet Sacerdos* — Hinc valide et licite adsistit — *a*) Sacerdos, qui nec sit Parochus loci, nec Parochi qualitatem ullomodo habeat in sensu legis (n. 19. sqq.), nec pariter sit Ordinarius loci, nec ullimode induat Ordinarii qualitatem (n. 30.), nec sit Sacerdos ab alterutro delegatus (n. 63.). Item — *b*) quivis Sacerdos sive

saecularis, sive regularis. Item — *c*) Sacerdos qui forte publico etiam decreto sit nominatim excommunicatus, suspensus, interdictus, depositus, degradatus, necnon schismaticus, haereticus et apostata, non secus ac quilibet Sacerdos valide et licite absolvit a *quovis* peccato in articulo vel periculo mortis.

80. *Regulariter cum duobus testibus* — Talibus in adiunctis Sacerdos regulariter cum duobus testibus assistere debet, idque *ad valorem* actus. *Regulariter*, inquam, idest si duo testes adsint, et si absque contrahentium infamia accersiri possint. Secus in tanto discrimine Sacerdos, quippe qui facultatem habet dispensandi ab impedimentis dirimentibus *iuris ecclesiastici*, excepto sacro Presbyteratus ordine et affinitate lineae rectae ex copula licita (S. C. de Sacr. 14 maji 1909 - 16 aug. 1909 - V. sup. p. 13. 15.), ab impedimento *clandestinitatis* tunc dispensabit (22).

81. *Servata quoad consensum substantia legis* — Hinc — *a*) Sacerdos, si fieri possit, exquirere ipse debet et excipere consensum contrahentium, invitatus ac rogatus, non vi nec gravi metu constrictus, iuxta superius dicta (n. 45. sqq.) — *b*) Si secus, sufficit ut partes *quolibet modo* suum consensum exprimant, ita tamen ut Sacerdotis adsistentia semper *ultronea* appareat (23).

Caput. IV. - De matrimonio « coram duobus testibus ».

Canon VIII.

« *Si contingat ut in aliqua regione Parochus locive Ordinarius* « *aut Sacerdos ab eis delegatus, coram quo matrimonium celebrari* « *queat, haberi non possint, eaque rerum conditio a mense iam* « *perseveret, matrimonium valide ac licite iniri potest, emisso a* « *sponsis formali consensu coram duobus testibus* » — Decr. *Ne temere* n. 8.

Canonis octavi explanatio.

82. *Matrimonium coram testibus* — Datur in nova lege alter casus privilegiatus, in quo valide et licite matrimonium iniri potest seu formalis consensus emitti *coram duobus testibus* tantum, quin requiratur idonei Sacerdotis adsistentia, idest neque Parochi, neque Ordinarii, neque Sacerdotis ab alterutro delegati, etsi forte alius Sacerdos in loco matrimonii inveniatur (can. 8).

83. *Huius casus constitutiva* — Ad hunc casum *specifice* constituendum *tria adiuncta* concurrere debent sc. — *a*) quod idoneus Sacerdos *haberi nequeat* — *b*) quod iam *a mense* talis Sacerdos haberi nequeat — *c*) quod *in tota regione* ipse haberi nequeat, non in aliquo tantum casu particulari (1b).

84. *Defectus idonei Sacerdotis* — Talis defectus consistit in impossibilitate sive physica, sive morali habendi Sacerdotem ad hunc praecise effectum ut matrimonio adsistat. Quae impossibilitas aeque habetur sive idoneus Sacerdos *absens* sit a loco sponsorum adeo ut neque *vocari*, neque *adiri* ipse possit; sive *praesens* quidem sit in loco matrimonii, sed *adhiberi* nequeat. In utroque casu fit locus privilegio (24).

85. *A mense* — Defectus idonei Sacerdotis iam *a mense* perdurare debet seu a 30 diebus continuis vel a mense Calendarii, iuxta superius dicta de menstrua commoratione (n. 55.). Mensis autem non interrumpitur per transitum momentaneum, inopinatum et fidelibus prorsus ignotum idonei Sacerdotis per illam regionem, a qua iam a mense ipse abest (S. C. C. 27 iulii 1908 — V. sup. pag. 11). Nec pariter refert, quod, transacto mense, spes sit, imo certitudo quod idoneus Sacerdos haberi possit: sufficit ut, elapso mense, hic et nunc haberi nequeat.

86. *In regione* — Impossibilitas habendi idoneum Sacerdotem esse debet *in regione,* quo nomine venit regnum, provincia, urbs, oppidum, pagus, paroecia, pars etiam amplae paroeciae, minime vero *navis* (25). Censemus autem impedimentum huiusmodi esse oportere in regione illa *generale* seu *commune* sc. verum impedimentum *regionis*, ita ut omnes aut fere omnes afficiat: impedimentum vero *particulare* seu *personale* putamus nec *requiri*, nec *sufficere* ad fruendum beneficio nova lege concesso: non requiri, si *generale* adsit, non sufficere, si *generale* desit.

87. *Est privilegium locale* — Matrimonium igitur sic initum coram solis testibus est verum privilegium locale seu *territoriale,* quod ortum ducit ab impedimento *locali* seu *regionis.* Hinc eo uti poterunt quotquot in illa regione commorantur, sive ut *incolae*, sive *transeunter*, sive etiam qui *in fraudem legis* eo se contulerint, non exceptis *vagis* (26).

88. *Matrimonium sine testibus* — De casu prorsus extraordinario, quo ne testes quidem haberi possint, non agit novum ius, nec ista hypothesis communitatem aliquam etiam parvam afficere potest. Si igitur contigerit duos, virum ac mulierem, sine copia esse tum idonei Sacerdotis, tum etiam testium, ita ut aut *diutissime* a matrimonio ineundo abstinere debeant, aut gravis infamiae periculo exponi, aut etiam in gravissimo aeternae damnationis periculo versari, non est neganda eisdem facultas matrimonium ineundi vel coram uno teste, vel etiam sine testibus, quasi seipsos existiment, per quamdam epikeiam, tamquam subductos a positiva lege Ecclesiae de forma matrimonii. Ita Vermeersch n. 78. Wouters p. 79.

89. *Matrimonium civile* — Si in aliqua regione, in qua a mense iam perdurat impedimentum habendi idoneum Sacerdotem, ex praescripto legis civilis matrimonium celebrandum sit coram *civili magistratu* et duobus testibus, matrimonium illud, quod per se quidem omni destitueretur efficacia (n. 16.), aequivalebit tamen matrimonio *rato* seu matrimonio sacramento, si partes intenderint non meram civilem coeremoniam adimplere, sed verum consensum matrimonialem emittere (27).

Cap. V. - De matrimoniis in libris parochialibus describendis.

Canon IX.

§ 1. « *Celebrato matrimonio, Parochus, vel qui eius vices gerit,*
« *statim describat in libro matrimoniorum nomina coniugum ac te-*
« *stium, locum et diem celebrati matrimonii, atque alia iuxta mo-*
« *dum in libris ritualibus vel a proprio Ordinario praescriptum:*
« *idque licet alius Sacerdos, vel a se vel ab Ordinario delegatus,*
« *matrimonio adstiterit* ».

§ 2. « *Praeterea Parochus in libro quoque baptizatorum adnotet* « *coniugem tali die in sua Parochia matrimonium contraxisse.* « *Quod si coniux alibi baptizatus fuerit, matrimonii Parochus no-* « *titiam initi contractus ad Parochum baptismi sive per se, sive* « *per Curiam episcopalem transmittat, ut matrimonium in baptismi* « *librum referatur* ».

§ 3. « *Quoties matrimonium ad normam n. VII. aut VIII. con-* « *trahitur, Sacerdos in priori casu, testes in altero, tenentur in so-* « *lidum cum contrahentibus curare, ut initum coniugium in prae-* « *scriptis libris quamprimum adnotetur* » — Decr. *Ne temere* n. 9.

Canonis noni explanatio.

90. *Adnotatio in libris matrimonialibus* — Celebrato matrimonio in forma ordinaria Decreti, tenetur Parochus, et quidem *sub gravi*, initum matrimonium in libro matrimoniorum *statim* describere (can. 9. § 1.), idest intra *triduum*, uti hanc clausulam communiter interpretantur Doctores, excepto casu quod ex longiori dilatione omne excludatur periculum adnotationem illam praetermittendi.

91. *Cuinam Parocho dicta obligatio incumbat* — Supradicta obligatio *primo* incumbit *Parocho* (ib.), quo nomine intelligitur Parochus *loci*, in quo matrimonium contractum est, non autem Parochus domicilii aut menstruae commorationis sponsi vel sponsae — *Secundo* eadem obligatio incumbit Sacerdoti, qui Parochi *vices gerit*, quo nomine intelligi potest tum ille omnis, qui mandatum habet generale et aliquatenus diuturnum ad officia parochialia exercenda (V. sup. n. 20.) vel saltem ad matrimoniis adsistendum, tum ille qui forte ex peculiari causa electus fuerit a Parocho ad matrimonia describenda: minime vero *per se* Sacerdos, qui in casu aliquo particulari delegatus fuerit ut matrimonio adsisteret.

92. *Quae describenda* — Descriptio matrimonii in libris parochialibus complectitur nomina coniugum et testium, locum et diem matrimonii, eaque omnia quae vel *ex natura rei*, vel *ex iure particulari* addenda sunt. *Ex natura rei* sunt delegatio, dispensatio in impedimentis publicis, matrimonii convalidatio in foro externo vel solutio matrimonii rati: *ex iure particulari* esse possunt denunciationes factae aut omissae.

93. *Quomodo facienda descriptio* — Celebrati matrimonii descriptio — *a*) facienda est *in libro* matrimoniorum, minime vero in schedulis seu foliis separatis et volantibus — *b*) *eo modo*, quem libri rituales vel proprius Ordinarius indicaverint (can. 9. § 1).

94. *Adnotatio in libris baptizatorum* — Parochus *loci* seu matrimonii insuper tenetur, et quidem *sub gravi*, adnotare *in libro baptismorum*, praefatos coniuges tali die et anno in sua paroecia matrimonium contraxisse (can. 9. §. 2): quae adnotatio fieri potest vel *in calce* actus baptismi, vel melius *in margine* — Si alter coniugum vel uterque extra locum matrimonii baptizatus fuerit, Parochus matrimonii Parochum vel Parochos baptismi de celebrato matrimonio certiores facere debet, ut iste vel isti matrimonium referant in librum baptismi (ibid): quem nuncium Parochus matrimonii mittere potest vel immediate ad Parochum seu Parochos baptismi, vel per intermediam Curiam episcopalem (ibid.) propriam aut Parochi baptismi (28).

95. *Casus matrimonii coram Ordinario* — Si matrimonium non coram Parocho, sed coram Ordinario celebratum fuerit, Ordinarius ipse *sub gravi* non describere, sed *curare* debet ut a competenti Parocho matrimonium in libro matrimoniorum describatur, ut supra: in libro, inquam, paroeciae ubi initum est matrimonium, vel, si locus matrimonii a iurisdictione parochiali exemptus fuerit, in libro paroeciae domicilii aut menstruae commorationis sponsae (29) — In eodem casu, non Ordinarius, sed dictus Parochus *sub gravi* tenebitur vel adnotationem facere in libro baptismorum, vel monere Parochum seu Parochos baptismi de eadem adnotatione in suis libris facienda.

96. *Corollarium de recenti baptismi documento a sponsis exquirendo* — Ex novo isto iure de adnotatione matrimonii in libro baptismorum facienda, non modo opportunum, verum etiam *necessarium* fieri videtur, attento sensu decreti, ut a sponsis, quorum status liber probandus sit, postulet Parochus *recens* baptismi documentum, ut saltem ex hac parte omnis fraus, si qua sit, detegatur.

97. *Quid in casibus privilegiatis* — In casu vel de matrimonio *in extremis* (cap. 3), vel de matrimonio *coram duobus testibus* (cap. 4), vel de matrimonio *sine testibus* (n. 88.), tenentur Sacerdos cum contrahentibus in priori casu, testes cum contrahentibus in altero casu (sup. §. 3), contrahentes in tertio casu, curare ut initum coniugium in praescriptis libris quamprimum adnotetur (30).

98. *Obligatio gravis et in solidum* — Praefatae personae in praedictis casibus tenentur *in solidum* oneri suo satisfacere, seu ita ut, uno non satisfaciente, obligetur alter; uno satisfaciente, alii liberi maneant. Quae obligatio *eiusdem gravitatis* existit ac pro Parocho tum quoad obligationem ipsam, tum quoad tempus, quo eadem obligatio urget (sup. n. 90.).

99. *Quomodo satisfaciendum* — Quoad matrimonii descriptionem in libro matrimoniorum faciendam, praefatae personae suae obligationi satisfaciunt, si de inito matrimonio Parochum loci moneant eique elementa subministrent dictae descriptionis faciendae. Quoad vero adnotationem in libro baptismorum, eaedem personae possunt vel directe monere Parochum baptismi, vel hoc onus relinquere Parocho matrimonii: utrique tamen sc. et praefatae personae et Parochus matrimonii tenentur *in solidum* eidem obligationi satisfacere, ut supra.

Caput VI. - Poenae in transgressores Decreti.

Canon X.

« *Parochi, qui heic hactenus praescripta violaverint, ab Ordi-*
« *nariis pro modo et gravitate culpae puniantur. Et insuper, si*
« *alicuius matrimonio adstiterint contra praescriptum § 2. et 3.*
« *n. V., emolumenta «stolae» sua ne faciant, sed proprio contrahen-*
« *tium Parocho remittant* » — Decr. *Ne temere* n. 10.

Canonis decimi explanatio.

100. *Duplicis generis poenae* — Poenae contra Decreti praescripta violantes aliae sunt *ferendae*, aliae *latae* sententiae. Illae decernuntur arbitrio Ordinarii pro modo et gravitate culpae, ob vio-

lationem *cuiusvis* praescriptionis Decreti : istae ad unam reducuntur emolumentorum *stolae* privationem ob violationem praescripti § 2. et 3. art. V., *ipso facto* incurrendam ante omnem iudicis seu superioris declarationem vel sententiam (31).

101. *Soli subiacent Parochi* — Praefatis poenis soli Parochi plectuntur, minime autem Sacerdotes a Parocho vel loci Ordinario ad matrimonia delegati (can. 10.). At nomine Parochi eos omnes intelligas oportet, de quibus supra (n. 19 sqq.).

102. *Ordinarius irrogans poenas* — Poenae *ferendae sententiae*, seu arbitrio Ordinarii decernendae, ab illius parochi Ordinario irrogandae sunt, qui legis praescriptum violaverit : « Actor enim sequitur forum rei ».

103. *Stolae emolumenta* — Hic intelliguntur ea omnia, quae Parocho *qua tali* obveniunt seu competunt ex matrimonii celebratione. His propterea non accensentur stipendium Missae, dona ex amicitia vel grato animo a sponsis oblata, multoque minus mercedes officialium vel iura Ecclesiae, si quae sint.

104. *In casu violati iuris emolumenta stolae Parocho proprio cedunt* — Stolae emolumenta, quibus privatur Parochus legis transgressor, ut supra, remittenda sunt proprio contrahentium Parocho (can. 8.), seu Parocho, a quo, excepto casu gravis necessitatis, petenda fuisset licentia. Hic autem est Parochus domicilii vel menstruae commorationis alterutrius contrahentis (n. 53. sqq.) : et *quadruplex* esse potest, duplex pro sponso et duplex pro sponsa, quatenus uterque in uno loco habeat domicilium, in alio menstruam commorationem.

105. *Cuinam ex diversis istis Parochis emolumenta cedant* — Quum plures sunt Parochi pro matrimonio proprii, *regula* haec esse debet ut, in casu violati iuris, stolae emolumenta illi Parocho remitti debeant, coram quo nuptiae factae fuissent, quia ille fuisset Parochus validus et licitus matrimonii. Cuius rei deficiente probatione, Parochus sponsae regulariter praesumitur Parochus matrimonii (n. 62) : et Parochus domicilii praeferendus Parocho menstruae commorationis, nisi potior residentia extra domicilium fuerit. In dubio, res solvenda ab Ordinario.

106. *Emolumenta non percepta* — Si Parochus legis transgressor, in fraudem legis vel nullum emolumentum perceperit, vel infra taxam synodalem Parochi proprii perceperit, de integro emolumento apud Parochum proprium ipse respondebit, quem de suo indemnem faciet, *in solidum* tamen cum contrahentibus, qui *primi* tenentur. Si non percepit quia percipere non potuit, ad nihil tenetur Parochus matrimonii.

107. *Poena Tridentina sublata* — Novo iure sublata censeri debet poena suspensionis *latae sententiae* a Concilio Tridentino statuta contra Parochum vel alium Sacerdotem, vive regularem, sive saecularem, qui alterius parochiae sponsos, sine illorum Parochi licentia, matrimonio coniungere aut benedicere ausus fuerit : a qua absolvebat Ordinarius eius Parochi, qui matrimonio interesse debebat (Sess. 24 c. 2. de Ref.).

Cap. VII. - De subiecto passivo Decreti.

Canon XI.

§ 1. « *Statutis superius legibus tenentur omnes in catholica* « *Ecclesia baptizati et ad eam ex haeresi vel schismate conversi* « *(licet sive hi, sive illi ab eadem postea defecerint) quoties inter* « *se sponsalia vel matrimonia ineant* ».

§ 2. « *Vigent quoque pro iisdem, de quibus supra, catholicis, si* « *cum acatholicis sive baptizatis sive non baptizatis, etiam post* « *obtentam dispensationem ab impedimento mixtae religionis vel di-* « *sparitatis cultus, sponsalia vel matrimonium contrahunt: nisi pro* « *aliquo particulari loco aut regione aliter a S. Sede sit statutum* ».

§ 3. « *Acatholici sive baptizati, sive non baptizati, si inter se* « *contrahunt, nullibi ligantur ad catholicam sponsalium vel ma-* « *trimonii formam servandam* » — Decr. *Ne temere* n. 11.

Canonis undecimi explanatio.

108. *De iis qui novae legi subsunt* — Ad catholicam sponsalium et matrimonii formam servandam tenentur — *a*) omnes in catholica Ecclesia baptizati — *b*) omnes ad eam sive ex haeresi, sive ex schismate conversi — *c*) quamvis tam isti quam illi ab eadem postea defecerint — *d*) quoties omnes supradicti vel contrahunt *inter se*, vel contrahunt *cum acatholicis* sive baptizatis sive non baptizatis, etiam post obtentam dispensationem ab impedimento mixtae religionis vel disparitatis cultus — *e*) *Excipitur* ab hac lege aliquis particularis locus aut regio, pro qua a S. Sede aliter statutum fuerit (can. 11. §§. 1. 2.).

109. *Omnes in catholica Ecclesia baptizati* — Dicuntur in catholica Ecclesia baptizati quotquot *ipso baptismate* demonstrantur ad Ecclesiam catholicam pertinere, seu quotquot in ordine ad Ecclesiam catholicam baptizati sunt. Quod diversimode constat pro adiunctorum diversitate (32).

110. *Omnes ad catholicam Ecclesiam sive ex haeresi sive ex schismate conversi* — *Conversorum* nomine hic proprie intelliguntur illi, qui in haeresi vel in schismate baptizati, fidem catholicam amplectuntur vel *actu personali,* vel actu *signato* per sui erroris eiura tionem et fidei catholicae susceptionem, vel actu saltem *exercito* per ultroneam atque consciam sacramentorum Ecclesiae susceptionem in ipsa catholica Ecclesia, puta Confessionis, Confirmationis et maxime primae Communionis, necnon per subiectionem ad R. Pontificem (33).

111. *Quamvis tam isti quam illi a catholica Ecclesia postea defecerint* — *Apostatae* a catholica fide, sive qui in catholica Ecclesia baptizati fuerant, sive qui, in haeresi aut in schismate baptizati, ad fidem catholicam fuerant conversi, nullum emolumentum, quoad formam sponsalium vel matrimonii, trahere possunt, sed, si in apostasia contrahere velint, in forma Decreti contrahant necesse est: secus invalidus eorum contractus — Aliis verbis: de regula ordinaria, sufficit esse vel fuisse catholicum, ut quis ad catholicam formam sponsalium vel matrimonii servandam teneatur.

Haec enim sunt habituale criterium personalis professionis fidei catholicae.

112. *Quoties contrahant inter se vel cum acatholicis* — Nova igitur lege de forma sponsalium et matrimonii adstringuntur — *a*) qui *actu* sunt *catholici,* sive contrahant *inter se,* sive *cum acatholicis* tam baptizatis, quam non baptizatis, etiam obtenta dispensatione ab impedimento — *b*) qui *actu* quidem non sunt catholici, sed catholici *fuere,* et a fide catholica postea defecerunt, sive contrahant *inter se*, sive *cum aliis acatholicis* tam baptizatis, quam non baptizatis (34).

113. *Nisi pro aliquo particulari loco aut regione aliter a S. S. statutum* — In hac exceptione, seu a nova forma matrimonii servanda exemptione, una continetur Constitutio *Provida* a Pio X pro Imperio Germanico edita die 18 Ian. 1906 et vigens a die 15 Apr. eiusdem anni, et postea extensa die 23 febr. 1909 ad regnum Hungariae, abrogatis tum Constitutione Benedictina, tum aliis, quae circumferebantur, particularibus statutis impedimendum clandestinitatis respicientibus (S. C. C. 1 febr. 1908 — V. sup. pag. 8).

114. *Praescriptum Constitutionis « Provida »* — Piana Constitutio, ad rem praesentem quod spectat, statuit ac declarat, matrimonia *mixta* seu quae a catholicis cum haereticis vel schismaticis ineuntur, pro validis habenda esse, etsi clandestine inita (matrimonia clandestina *acatholicorum*, si *inter ipsos* ineantur, iam *ubique* valida sunt, uti infra n. 115.). Dicta tamen exceptio — *a*) quod ad Germaniam attinet, respicit Imperium Germanicum *stricte dictum,* minime vero loca quae solummodo sunt sub Germaniae protectione — *b*) Valet pro solis *matrimoniis*, minime vero pro *sponsalibus;* et quidem pro matrimoniis *mixtis*, ut supra, quandoquidem Constitutio de solis matrimoniis iisque mixtis sermonem facit. Praeterea — *c*) quod ad Germaniam atque Ungariam spectat, *catholici* et *acatholici* eodem sensu veniunt, quo in Decreto *Ne temere* (sup. n. 108 sqq.): seu *catholicorum* nomine veniunt quotquod in catholica Ecclesia baptizati sunt et ad eam ex haeresi aut schimate conversi sunt, licet sive hi, sive illi ab eadem postea defecerint (apostatae): ceteri cuiuscumque religionis vel sectae, sive baptizati sive secus, *acatholicorum* nomine veniunt (ib. ad 5) — *d*) Denique eadem Constitutio valet pro solis *natis* in Germania et Hungaria, et quidem ita ut *ambae* partes *natae* esse debeant in Germania, si in Germania, non extra Imperii fines, in Hungaria, si in Hungaria, non extra Regni fines, matrimonium suum contrahant (S. C. C. 28 martii 1908 ad 3. — V. sup. pag. 10). Quapropter privilegium hoc simul est *personale* et *locale:* personale pro *solis natis* in Germania et Hungaria: locale pro iisdem *ibidem* respective contrahentibus: non *mere personale,* quia secus nati in Germania vel in Hungaria eo frui possent etiam *extra* sui territorii fines: non *mere locale,* quia secus eo frui possent etiam ibi non nati *ibidem* tamen contraentes (35).

115. *De iis qui novae legi vi Decreti non subsunt* — Ad novam sponsalium vel matrimonii formam servandam vi Decreti non ligantur *acatholici* seu quotquot non sunt nec umquam fuere in Ecclesia catholica (sup. n. 108.) — *a*) sive baptizati fuerint, sive non fuerint baptizati — *b*) *quovis in loco* contrahant — *c*) dummodo *inter se* contrahant (can. 11. §. 3).

116. *De aliis qui non subsunt* — Lex nova non adstringit catholicos *ritus orientalis*, catholicos, inquam, sensu supra exposito (n. 108.), eos scilicet qui vel *actu* in catholica Ecclesia versantur,

vel *olim* ad eam pertinuerunt, etsi postea *actu suo personali* ab ea recesserint. At duplici tantum in casu: — *a*) quod catholici ritus orientalis *inter se* contrahant, minime vero cum catholico ritus latini (S. C. C. 1 febr. 1908 ad 1. et 28 mart. 1908 ad 1 · V. sup. pag. 8-10.) — *b*) vel *cum acatholico* contrahant sive baptizato, sive secus, sive ritus orientalis, sive occidentalis, voce *acatholicus* eodem, quo supra (n. 108.) sensu intellecta, scilicet pro eo, qui in catholica Ecclesia *numquam* fuit (ib. ad 2.). Quae Orientalium exemptio omnino *personalis* est, ita ut eos *ubique comitetur;* quemadmodum, ex adverso, *personale* est catholicorum ritus latini ligamen ad servandam formam novae legis, adeo ut vim Decreti *Ne temere* non effugiant, quamvis inter Orientales degant.

Caput VIII. — De promulgatione decreti.

Canon XII.

« *Praesens decretum legitime publicatum et promulgatum ha-*
« *beatur per eius transmissionem ad locorum Ordinarios: et quae*
« *in eo disposita sunt, ubique vim legis habere incipiant a die*
« *solemni Paschae Resurrectionis D. N. I. C. proximi anni 1908* ».
« *Interim vero omnes locorum Ordinarii curent hoc decretum*
« *quamprimum in vulgus edi, et in singulis suarum Dioeceseon*
« *parochialibus Ecclesiis explicari, ut ab omnibus rite cognoscatur* ».
« *Praesentibus valituris de mandato speciali S. D. N. Pii Papae X*
« *contrariis quibuslibet etiam peculiari mentione dignis minime*
« *obstantibus* » — Decr. *Ne temere.*

Canonis explanatio.

117. *Praesens decretum est lex pontificia* — Decretum *Ne temere* non esse simplex decretum S. Congregationis Concilii, sed constituere legem vere et stricte *pontificiam:* seu, aliis verbis, R. Pontificem usum tantum esse S. Congregatione tamquam organo et instrumento ad condendam et promulgandam novam legem a se conditam de Sponsalibus et Matrimonio, triplici animadversione patet — *a*) Ex verbis, quae leguntur in prooemio Decreti: « Sanctissimus Dominus « S. Congregationi Concilii mandavit ut decretum ederet, quo *leges* « *a Se, ex certa et matura deliberatione probatae, continerentur*, « quibus Sponsalium et Matrimonii disciplina in posterum regeretur, « eorumque celebratio expedita, certa atque ordinata fieret ». Item constat — *b*) ex clausula finali Decreti, quae vim habet confirmationis *in forma specifica:* « Praesentibus valituris *de mandato speciali* S. D. « N. Pii Papae X. ». Item — *c*) ex eadem clausula, quae derogatoria est omnium dispositionum praecedentium, praesertim capitis *Tametsi* Concilii Oecumenici Tridentini: « Contrariis quibuslibet etiam peculiari mentione dignis non obstantibus ». Profecto legi universali Ecclesiae nonnisi per supremam Ecclesiae auctoritatem derogari posse, in confesso est apud omnes.

118. *Legis promulgatio* — Lex vim suam obligandi exerere nequit nisi *promulgetur:* unde a s. Thoma promulgatio ponitur in definitione legis (1. 2. q. 90. a. 4). Nova autem lex de Sponsalibus

et Matrimonio *sola transmissione* ad locorum Ordinarios, non autem subsecuta receptione, promulgata est (can. 12.), pro toto Orbe ac pro singulis Dioecesibus, ipso momento quo S. C. Congregatio latum decretum ex officio ad omnes locorum Ordinarios transmisit (36).

119. *Legis executio* — Nova lex, singulari hoc modo promulgata, vacavit a die 2 Augusti 1907 usque ad Pascha subsequentis anni h. e. usque ad diem 19 aprilis 1908 (can. 12.). Ab hac die seu melius a media nocte, qua dies 18 transiit in diem 19 Aprilis, decretum *Ne temere* suas vires *ubique*, pro catholicis ritus latini, exerere coepit: exceptis *Sinensibus*, pro quibus executio Decreti ad Pascha an. 1909 dilata est (S. C. de Prop. Fide *Litteris* 29 febr. 1908).

120. *Legis divulgatio* — Aliud legis *promulgatio*, aliud eius *divulgatio* seu in vulgi notitiam deductio: illa fit a legislatore modo sibi beneviso et penitus arbitrario, ista pluribus modis ac indiciis per alios fieri potest, puta per ephemerides, per scriptas vel verbales communicationes seu notificationes, per legis applicationem etc..... Porro, ad rem nostram, Ordinarii ipso Decreto curare iubentur ut quamprimum pontificium documentum in vulgus edatur et in singulis parochiis populo explicetur (can. 12.).

121. *Clausula derogatoria* — Postrema decreti verba duo praestant sc. continent imprimis *specificam* Pontificis confirmationem, quae sola sufficeret ad elevandum decretum ad dignitatem et robur legis pontificiae (sup. n. 117.): ac praeterea omne ius vel usum contrarium praecedentem amplissime supprimunt, sive generale fuerit sive peculiare, sive privilegio sive sola consuetudine innixum (sup. can. 12). Codex igitur seu Ius, quo apud catholicos ritus latini, sive inter se sive cum Orientalibus contrahentes, regitur uterque contractus, sponsalitius sc. et matrimonialis, est decretum *Ne temere* cum iis, quae secutae sunt ss. Congregationum resolutiones, exceptis, uti supra (n. 114.), matrimoniis *mixtis* in Imperio Germanico et in Regno Hungarico.

NOTAE.

(1) Triplicem effectum pariunt sponsalia rite contracta sc. — a) gravem obligationem iustitiae contrahendi cum altera parte — b) impedimentum *impediens* — c) impedimentum *dirimens*, quod in Iure vocatur *publicae honestatis*.

(2) Profecto qui machina scribendi utitur, non scribere, sed imprimere dicendus est. At decretum *Ne temere* necnon subsecutae decisiones de *scriptione, subscriptione, subsignatione* semper loquuntur.

(3) Praeter rationem cuilibet perspectam de inobservata in huiusmodi sponsalibus forma Decreti, prostat ad rem declaratio S. C. negot. eccles. extraord. 5 ianuarii 1902. In Hispania enim, ex diu invecta consuetudine, iampridem habebantur ut invalida sponsalia contracta absque publica scriptura. Cum autem quaesitum fuisset a supradicta Congregatione an huiusmodi sponsalia saltem valerent in foro interno, responsum est: « *Praedicta sponsalia pro neutro foro valere* ». At pars laesa ius habet ut ab altera parte indemnis fiat (a. 54 Cod. Ital.), pro quo iure prosequendo adeundum est civile tribunal (cfr. *Monit. eccles.* ann. 33. fasc. 31 marzo 1908 pag. 44).

(4) Duplex quaestio hic distinguenda. *Prima :* An sponsalia informia, iuramento firmata, *ratione iuramenti* valida fiant. Cui quaestioni *negative* respondendum est ex principio a DD. communiter recepto,

quod non firmantur iuramento contractus illi, quos ob bonum commune ius positivum *ipso facto* irritos declarat — *Altera* quaestio: An *ex iuramento*, sponsalibus informibus adiecto, aliqua oriatur *saltem religionis* obligatio: de quo disputant Doctores.

(5) Bonif. VIII cap. unic. de despons. imp. in 6° Decret.

(6) Ojetti, Wouters, Ferreres propr. loc.

(7) Cap. 4. de desp. imp. X. cap. un. § 1. h. t. in 6°.

(8) Citatus art. 54 Cod. Ital. sic se habet: « Se la promessa scambievole di futuro matrimonio fu fatta per atto pubblico o per scrittura privata da chi sia maggiore d'età, o dal minore autorizzato dalle persone, il concorso delle quali è necessario per la celebrazione del matrimonio, oppure consta dalle pubblicazioni ordinate dall'Officiale dello stato civile, il promettente che ricusi di eseguirla senza giusto motivo, è obbligato a risarcire l'altra parte delle spese fatte per causa del promesso matrimonio — La domanda però non è più ammissibile dopo un anno dal giorno, in cui la promessa doveva essere eseguita ».

(9) « Sive fideles actum ipsum (civilem) explentes intendant me- « ram coeremoniam civilem peragere, sive intendant sponsalia de « futuro inire, sive tandem ex ignorantia, aut in spretum legum « ecclesiasticarum intendant matrimonium de praesenti contrahere, « impedimentum publicae honestatis (matrimonium civile) non pro- « ducit ». S. C. C. 17 martii 1879. Porro si effectus canonici haud producuntur, nullum locum habent sponsalia *valida* — At per tale matrimonium, ex declaratione S. O. 22 Dec. 1880, incurritur excommunicatio Ordinariis reservata in Const. Ap. Sedis ser. 3. n. 1.

(10) Ex decreto *Ne temere* nulla ratio educi potest cur antiquum ius mutatum fuisse dici queat tum quoad parochum *praesumptum* seu qui in fidelium opinione legitimum habeat titulum parochialitatis, tum quoad Parochum diaconum vel clericum. Uterque igitur erit parochus idoneus quoad sponsalia.

(11) Sic ex Rescripto S. C. C. ad Archiepisc. Olomucensem apud Wouters *Comm. in decr. Ne temere* edit 3. p. 41 in nota. Qui maiorem obtinet dignitatem, ordinario *per se ipsum* possessionem capit (v. g. Episcopus, ostensis Capitulo litteris Apost.): qui minorem vero, a Superiore eiusve delegato possessionem obtinet — Hinc duplicem possessionem distinguere licet, *formalem* et *materialem*. Possessio *formalis* est proprie dicta *inthronizatio* seu *installatio* per illas formalitates seu solemnitates, quas consuetudo vel particularia statuta ferunt: possessio *materialis* est ipsa officii administratio et exercitium, annuente Ordinario.

(12) Prima specie sufficientem dixeris suspensionem a *iurisdictione* ut Parochus iam assistere nequeat matrimoniis. At quia matrimoniorum adsistentia non est actus iurisdictionis, sed exercitium muneris *testis authorizabilis*, idcirco sola suspensio a iurisdictione Parochum non impedit a valida matrimoniorum adsistentia — Censemus praeterea cum cl. Oietti S. I. (*Comm. in ius antepianum et pianum n. 62 in nota*), Ordinarium non posse suspendere Parochum *a sola matrimoniorum assistentia*. Quousque enim Parochus non est *ab officio* parochiali suspensus, *nova* lex canonica, supra quam profecto non sunt Episcopi, eum facit testem qualificatum matrimonii, nec ullam tribuit Ordinariis facultatem tollendi *directe* a Parocho hanc qualitatem, sed solum *indirecte* sc. eum suspendendo ab officio parochiali. Contra sentire videntur Vermeersch (n. 42) et Tanquerey (§ III. n. 1.), quamvis isti id tantummodo reapse dicant, specialem suspensionem a iure assistendi matrimoniis obstare validitati assistentiae, quin adserant, talem suspensionem ab Ordinario quoque ferri posse.

(13) Domicilium *legale* illud est quod *lege* constituitur, quatenus sc. lex certis personis domicilium assignat v. g. minoribus apud parentes vel tutorem: domicilium *reale* illud dicitur, quod *habitatione* acquiritur, seu *facto* et *animo* habitandi in perpetuum in loco aliquo, nisi causa quaepiam aliud suaserit. Ita Vermeersch cum ceteris (n. 58).

(14) Sic v. g. operarii, qui quotidie operam suam locant in aliena civitate, vespere oppidulum suum repetentes, post mensem in proprio oppido matrimonium contrahere poterunt.

Qui v. g. sex hebdomadae dies in civitate manent, domum redeuntes vespere Sabati ad feriam II mane, isti profecto parochum illius civitatis sibi proprium comparabunt in ordine ad matrimonium, at solum post mensem seu melius post quinque hebdomadas (6 . 5 = 30). Vermeersch (ib.).

(15) Ante decretum *Ne temere*, ex responso 9-12 Nov. 1898 s. Officii in Parisiensi, communi quoque sententia confirmato, nonnisi *unum* domicilium vel quasi domicilium in Iure agnoscebatur sc. *parochiale;* domicilium autem *dioecesanum* formaliter ut tale et distinctum a parochiali nullum erat. Porro cum decretum *Ne temere* hanc domicilii notionem in ordine ad matrimonium non mutaverit, idcirco nulla est ratio cur domicilium *dioecesanum* induci debeat aut possit. Quod ita non est de menstrua commoratione. Haec enim est *res nova* per Decretum inducta, quae accipi debet uti inducta est et uti in Decreto sonat. Haec est ratio, ob quam menstruam commorationem *dioecesanam* admittimus, domicilium vero *dioecesanum* respuimus.

(16) Assistentia quidem a Parocho vel a Sacerdote delegato, ex gravi metu aut vi praestita, omni valore destituitur (Can. 4. § 3.): at ex hoc non sequitur, ipsam quoque delegationem ex gravi metu concessam invalidam esse — *Error* quoque valori delegationis adversari potest: at tunc solum adversatur, quum vel *substantialis* est sc. circa *personam* delegandi vel nupturientium versatur, vel, si circa harum personarum qualitatem aut causam concessionis versetur, tunc tantum quum qualitas vel causa intenta fuerit tamquam *conditio sine qua non* delegationis.

(17) Duo ad rem praesentem requiruntur et sufficiunt. *Primum* quod delegatio vere *locum habeat*, nec mere praesumatur, uti per se patet: *alterum* quod *in notitiam delegati* perveniat vel per intimationem, vel per aliquam notificationem: ex variis enim decisionibus S. C. C. (9 Dec. 1626 — 15 apr. 1628), invalidum est matrimonium, *positâ ignorantiâ delegationis.*

(18) Delegatio enim se habet ad modum *donationis*, donatio autem suum nequit sortiri effectum nisi a donatario acceptetur. Hic tamen adverte, hoc interesse inter Ordinarium et Parochum delegantem, quod Ordinarii delegatio, praesertim si per statutum generale concedatur, sine delegati acceptatione, imo et cognitione, operatur, minime vero delegatio Parochi.

(19) Litterae sunt medium *ordinarium* ideoque adhibendum, *telegramma* vero et *telephonium* inter media *extraordinaria* ac parum tuta recensentur, ac proinde ab iis abstinendum. Hinc Secretaria Status litteris encyclicis 10 Dec. 1891 et 5 Ian. 1892 Episcopis commendavit ne, de regula ordinaria, gratiae per telegraphum peterentur et concederentur tum a ss. Congregationibus, tum a Curiis episcopalibus. Mediis extraordinariis accenseri debent media *periculosa* necnon *graviter dispendiosa.*

(20) Uti perlegenti patet, finis a nova lege intentus, in statuendis adiunctis et causis matrimonii *in extremis,* is profecto est, praeter casum legitimandae prolis, ut consulatur conscientiae moribundi, ne scilicet in aeternum pereat, sive necessitas consulendi bono spirituali moribundi proveniat a peccatis carnis *formaliter,* uti contingit in iis, qui matrimonio mere civili coniuncti sunt, vel in concubinatu vivunt, vel malis relationibus inter se ita vinciuntur ut eorum separatio impossibilis aut difficilis evaserit; sive illa necessitas ex iisdem peccatis proveniat solum *occasionaliter,* puta si spes adsit, quod moribundus, contracto matrimonio, odium in compartem vel compartis consanguineos deponat, vel si per matrimonium comparti ius aliquod acquirat, quo reparatur damnum ex lege regionis eidem illatum ob fornicationem aut adulterium. Si bonum spirituale moribundi in casu intererit, matrimonium in formâ privilegiatâ Decreti contrahi poterit: si secus, minime. Quamobrem non intelligimus qua-

nam ratione freti nonnulli tueantur, non modo bonum spirituale moribundi, verum etiam bonum aliquod eidem *extraneum* esse legitimam causam matrimonii *sic* celebrandi, v. g. cessationem odii inter familias, vel impedire quominus secus patrimonium in malos usus impendatur. Haec profecto hisque similia neque in littera, neque in spiritu novi Iuris inveniuntur.

(21) *Spurii* dicuntur filii. qui nati sunt ex parentibus, inter quos tempore *conceptionis* prolis, vel saltem *naticitatis*, vel tempore *intermedio*, matrimonium contrahi non potuisset. Hi sunt vel *adulterini* si ex parentibus coniugatis (utroque vel alterutro) nati fuerint: vel *sacrilegi* si ex parentibus obstrictis solemni castitatis voto aut ordine sacro: vel *incestuosi* si ex consanguineis quovis gradu collateralibus aut affinibus: *nefarii* si ex parentibus adscendentibus aut descendentibus. Cfr. d'Annibale p. I. n. 50 (24).

(22) Revera — *a*) citata Indulta diserte loquuntur de *omnibus* impedimentis iure ecclesiastico dirimentibus, illis *tantum* duobus exceptis. Atqui tale est impedimentum *clandestinitatis*. Praeterea — *b*) indultum Pianum datum est ad normam indulti Leoniani per decretum S. O. die 20 febr. 1888. Atqui indultum Leonianum potestatem involvebat dispensandi a clandestinitate.

(23) Cum agatur de casu extraordinario, et lex non repetat conditiones, quas requirit in idoneo ministro eiusve delegato, idcirco sufficere censemus ad valorem actus, ut servetur *substantia* legis, si lex in singulis suis partibus specifice servari non possit. Legis vero *substantia* in casu est ut ministri adsistentia non sit vi vel gravi metu extorta, sed omnino ultronea.

(24) Impossibilitas *moralis* sita esset in *gravi* difficultate idoneum Sacerdotem habendi; quae gravis difficultas oriri potest vel a locorum distantia, vel a conditionibus viarum, saltem per aliquam anni partem, vel a persecutionibus forte ibi irruentibus, vel a probabili Sacerdotis absentia in loco, qui adiri possit, etc..... Sacerdos esse potest praesens in loco, sed adhiberi nequit, si v. g. menstrua iam infirmitate detentus sit, vel etiam si ex legis civilis praescripto coeremonia civilis praecedere debeat matrimonium religiosum, poenis mulctato Sacerdote, qui secus fecerit, et urgeat matrimonii celebratio.

(25) Profecto navis non est *regio*, de qua tantum loquitur nova lex: hinc in navigatione maritima etiam diu protracta locum habere nequit huius articuli usus. Locum autem habere potest vel usus canonis VII. de matrimonio in extremis, vel, si in mortis periculo desit Sacerdos, usus alterius privilegii de matrimonio coram solis testibus, quod iam ante novum ius tradebant Theologi, vel etiam sine testibus ut infra (n. 88.).

(26) Profecto licentia Sacerdotis proprii, de qua supra (Can. V. § 3), et pro vagis licentia Ordinarii vel Sacerdotis ab eo delegati (ib. § 4), tunc ad liceitatem requiritur quum matrimonium coram Sacerdote celebrandum est. Nulla ergo aderit illius licentiae necessitas, si quis poterit sine ullius Sacerdotis adsistentia nuptias inire.

(27) Vermeersch ib. — Profecto si, posito menstruo impedimento habendi idoneum Sacerdotem, est in iure sponsorum suas nuptias inire coram duobus testibus, nihil eos prohibere videtur quominus ipsi, ad abundantiam, in testem eligant ipsum civilem magistratum, atque ita una simul et religiosum suum celebrent matrimonium et legi civili satisfaciant.

(28) Ratio huius novae dispositionis evidens eaque sapiens est, ut praecaveatur scilicet periculum ne alter coniux, altero adhuc vivo, alias nuptias attentet. Ordinariorum autem erit modum definire, pro variis adiunctis, quo istiusmodi communicatio facienda sit, necnon tempus breve praecipere, intra quod facienda.

(29) Pro regula enim ordinaria habetur, ut matrimonium coram sponsae parocho celebretur, nisi aliqua iusta causa excuset (sup. can. V. § 5).

(30) Ex Const. *Satis vobis* Bened. XIV. 27 nov. 1741 in casu de matrimonio *in extremis* descriptio matrimonii facienda est, de licentia moribundi, in libro *secreto* ab Ordinario servando.

(31) Hanc poenam esse *latae sententiae* patet tum ex tenore verborum Decreti, tum etiam ex analogia cum verbis Conc. Trid. statuentis, Beneficiatos horas canonicas culpabiliter omittentes *non facere fructus suos*, quae verba, ex omnium consensu, poenam continent *latae sententiae*, obligantem ante omnem declarationem et sententiam.

(32) V. g. catholicus est *adultus*, qui ex propria intentione in ordine ad Ecclesiam catholicam baptizatur: catholicus est *infans*, qui ex parentum vel tutoris voluntate ad fontem Ecclesiae defertur: qui ex catholicis natus, a laico in necessitate baptizatur: filius liberi cogitatoris vel socialistae, qui, consentiente parente, a Parocho catholico baptizatur, quamvis postea non catholice instituatur: catholicus etiam ille, cuius parentes, statim post illius baptismum, haeretici vel schismatici fiant, vel quem baptizatum parentes catholici instituto protestanti instituendum tradunt — Contra *ex baptismo* non est catholicus, quam ministellus haereticus ex voluntate parentum baptizavit: filius baptizatus ab haeretico, quamvis mox eius parentes ad fidem catholicam convertantur: nec filius liberi cogitatoris vel socialistae, qui, insciis vel invitis parentibus, ab ancilla baptizetur. Quoniam, extra mortis periculum, Ecclesia prohibet quominus, insciis vel invitis parentibus, pueri baptizentur, idcirco statui posse videtur, Ecclesiam potestatem facere parentibus ut, per electionem baptismi catholici vel acatholici vel nullius, ipsi definiant formam matrimonialem, cui filii erunt obnoxii, salva tamen filiorum libertate eligendi, cum adoleverint, aliam formam.

(33) Hinc acatholicis accensendi sunt infantes nondum septennes, seu nondum usum rationis assecuti, in haeresi baptizati, quorum parentes ad fidem catholicam conversi sunt. Isti enim proprie *conversi* dici nequeunt, donec per actum proprium ad fidem catholicam transierint.

(34) In vocibus *catholicus* et *acatholicus* veram sensus immutationem induxit decretum *Ne temere* in ordine ad formam sponsalium et matrimonii, quatenus *catholicorum* nomine veniant tum illi qui *actu* ad catholicam Ecclesiam pertinent, tum illi, qui ab ea recesserunt: nomine autem *acatholicorum* ceteri veniant, sive baptizati, sive non baptizati, pagani, iudaei, haeretici, schismatici, in respectiva sua professione nati in eaque adhuc perseverantes, vel qui ab una ad aliam professionem transierint, nunquam tamen ad fidem et religionem catholicam conversi.

(35) Sublatum est igitur per decretum *Ne temere* tum quoad Latinos, tum quoad Orientales, in re matrimoniali, principium *communionis*, quo pars *immunis* suam immunitatem communicabat parti *subiectae*: et substitutum est principium *individualitatis*, quo pars *ligata* suum ligamen communicat parti *exemptae*.

(36) Ad rem Card. Gennari: « La trasmissione di questo Decreto « ai singoli Ordinarii basta alla sua pubblicazione e promulgazione. « Si noti la parola *trasmissione*: e vuol dire, che mandato questo De« creto agli Ordinarii, vale come promulgato. Si richiede cioè l'invio, « non il ricevimento. E però, quando anche qualche Ordinario non « abbia il Decreto direttamente dalla S. C. del Concilio per possibile « dispersione postale, il Decreto nondimeno deve considerarsi pro« mulgato anche nella sua Diocesi ». (Breve commento — ediz. 7 — pag. 56). Modus iste vere singularis est et novus. Leges enim et decreta S. Sedis generatim promulgantur per eorum affixionem in quibusdam consuetis locis Urbis v. g. ad valvas Basilicarum s. Petri, Lateranensis, etc..

INDEX

Procœmium . . . . . pag. 3
Decretum *Ne temere* . . . . . » 5
Decisiones S. C. Concilii circa decretum *Ne temere* . . » 8
Decisiones S. C. De Sacramentis circa idem decretum . » 13
Decretum S. O. quoad acatholicos baptizatos in Ecclesia catholica et postea non catholice educatos . . » 20
Constitutio *Provida* . . . . . » 21

Commentarius.

Cap. I. - De Sponsalibus.

Art. I. - De Sponsalibus scripturâ ineundis.

1. Forma substantialis sponsalium. 2. Qualis scriptura. 3. Scriptura quomodo subsignanda. 4. Scriptura subsignanda unico contextu. 5. Pars scribere nescia. 6. Impotens ad scribendum. 7. Data. 8. Conditiones substantiales. 9. Sponsalia per procuratorem. 10. Sponsalia informia. 11. Sponsalia unilateralia. 12. Sponsalia a parentibus nomine filiorum inita. 13. Matrimonia impuberum. 14. Sponsalia impuberum. 15. Sponsalia in ordine ad actum civilem. 16. Contractus ipse civilis. 17. Scriptura sponsalitia si perierit. 18. Sponsalium solutio . . . . . » 23

Art. II. - De Parocho - de Ordinario - de Testibus.

19. Triplex parochorum genus. 20. Parochus in paroeciis canonice erectis. 21. Parochi et Sacerdotes incompetentes. 22. Parochi competentia est territorialis. 23. Parochi habentes subditos in alieno territorio. 24. Parochi habentes territorium commune. 25. Parochi in territoriis divisis. 26. Parochi in territoriis indivisis. 27. Moderator missionis. 28. Parochi personales. 29. Rectores piorum locorum. 30. Ordinarius. 31. Testes sponsalium. 32. Vis, fraus et metus . . » 26

Cap. II. - De Matrimonio regulariter celebrando.

Art. I. - De forma substantiali matrimonii.

33. Forma substantialis matrimonii. 34. Testes validi matrimonii. 35. Testes liciti matrimonii. 36. Qualis Parochi et testium adsistentia . . . . . » 28

Art. II. - De valida matrimoniorum adsistentia.

37. Conditiones ad validam adsistentiam. 38. In persona. 39. Possessio beneficii. 40. Excommunicatio nominativa. 41. Item suspensio. 42. In loco. 43. Territorium. 44. Territorium commune. 45. In modo. 46. Invitatio. 47. Metus. 48. Exquisitio consensus. 49. In matrimoniis mixtis. 50. Matrimonia per alios . . pag. 29

Art. III. - De licita matrimoniorum adsistentia.

51. Conditiones ad licitam matrimoniorum adsistentiam. 52. Status libertatis. 53. Domicilium vel menstrua commoratio. 54. Qualis menstrua commoratio. 55. Completa. 56. Continua. 57. Perseverans. 58. Locus matrimonii. 59. Licentia proprii Parochi. 60. Iudex opportunitatis. 61. Quoad vagos. 62. Parochus de regula ordinaria . . . . . » 31

Art. IV. - De delegata matrimoniorum adsistentia.

63. Facultas delegandi. 64. Sacerdos delegandus - certus ac determinatus. 65. Multiplex delegatio. 66. Facultas subdelegandi. 67. Quomodo facienda delegatio. 68. Parochi personales. 69. Obligationes delegati. 70. Servanda a delegato ad validitatem. 71. Servanda ad liceitatem. 72. Delegatio cessat . . . . . » 34

Cap. III. - De Matrimonio « in extremis ».

73. Matrimonium in extremis. 74. Huius casus constitutiva. 75. Periculum mortis. 76. Defectus idonei ministri matrimonii. 77. Conscientiae compositio. 78. Legitimatio prolis. 79. Quilibet Sacerdos. 80. Regulariter cum duobus testibus. 81. Servata quoad consensum substantia legis. . . . . » 36

Cap. IV. - De Matrimonio coram testibus.

82. Matrimonium coram testibus. 83. Huius casus constitutiva. 84. Defectus idonei Sacerdotis. 85. A mense. 86. In regione. 87. Est privilegium locale. 88. Matrimonium sine testibus. 89. Matrimonium civile . . » 37

Cap. V. - De matrimoniis in libris parochialibus describendis.

90. Adnotatio in libris matrimonialibus. 91. Cuinam Parocho dicta obligatio incumbat. 92. Quae describenda. 93. Quomodo facienda descriptio. 94. Adnotatio in libris baptizatorum. 95. Casus matrimonii coram Ordinario. 96. Corollarium de recenti baptismi documento a sponsis exquirendo. 97. Quid in casibus privilegiatis. 98. Obligatio gravis et in solidum. 99. Quomodo satisfaciendum . . . . . » 38

Cap. VI. - Poenae in transgressores Decreti.

100. Duplicis generis poenae. 101. Soli subiacent Parochi. 102. Ordinarius irrogans poenas. 103. Stolae emolumenta. 104. In casu violati iuris emolumenta stolae Parocho proprio cedunt. 105. Cuinam ex diversis istis Parochis emolumenta cedant. 106. Emolumenta non percepta. 107. Poena Tridentina sublata. » 40

Cap. VII. - De subiecto passivo Decreti.

108. De iis qui novae legi subsunt. 109. Omnes in catholica Ecclesia baptizati. 110. Omnes ad catholicam Ecclesiam sive ex haeresi sive ex schismate conversi. 111. Quamvis tam isti quam illi a catholica Ecclesia postea defecerint. 112. Quoties contrahant inter se vel cum acatholicis. 113. Nisi pro aliquo particulari loco aut regione aliter a S. S. statutum. 114. Praescriptum Constitutionis « Provida ». 115. De iis qui novae legi vi Decreti non subsunt. 116. De aliis qui non subsunt . . . . . pag. 42

Cap. VIII. - De promulgatione decreti.

117. Praesens decretum est lex pontificia. 118. Legis promulgatio. 119. Legis executio. 120. Legis divulgatio. 121. Clausula derogatoria . . . . . » 44

Notae . . . . . » 45

V. Nihil obstat quominus imprimatur.

Viglebani 4 Junii 1915.

Can. Poenit. E. Zorzoli *Cens. Eccles.*

Imprimatur.

Viglebani 5 Junii 1915.

Can. Praep. V. Biroli *Pro-Vic. Gener.*

6080